SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica Kopernikańska w Toruniu
SCHULPROGRAMME

# Bericht
über
# das Altstädtische Gymnasium
zu Königsberg in Pr.
von Ostern 1841 bis Ostern 1842.

Womit zur
öffentlichen Prüfung der Schüler aller Classen
am
21. März Vormittags von 8 Uhr und Nachmittags von 2½ Uhr an
und am
22. März Nachmittags von 2½ Uhr an
zugleich im Namen der Lehrer der Anstalt
ganz ergebenst einladet
der Director des Gymnasii
**Johann Ernst Ellendt.**

Vorangeschickt ist eine Abhandlung des Gymnasial-Lehrer Dr. Carl Bender:
„De intercessione tribunitia. Particula prior.“

Königsberg in Pr., 1842.
Gedruckt bei E. J. Dalkowski.

## Ordnung der Prüfung.

Mondtag den 21. März, Morgens von 8 Uhr ab.

Sexta.
1. Religion. Dr. Legiehn.
2. Deutsch. Der Director.

Quinta.
1. Latein. Dr. Bender.
2. Rechnen. Dr. Böttcher.

Quarta.
1. Latein. a. b. Fatscheck.
2. Rechnen. a. Müttrich.
3. Geschichte u. Geographie. a. b. Dr. Bender.

Tertia.
1. Mathematik. Müttrich.

Mondtag den 21. März, Nachmittags von 2½ Uhr ab.

Tertia.
2. Griechisch. Nitka.
3. Geschichte u. Geographie. Dr. Bender.

Secunda.
1. Latein. Dr. Gryczewski.
2. Geschichte u. Geographie. Dr. Rupp.
3. Trigonometrie. Müttrich.

Dienstag den 22. März, Nachmittags von 2½ Uhr ab.

Prima.
1. Geschichte. Dr. Rupp.
2. Griechisch. Der Director.
3. Französisch. Fatscheck.

Nach Beendigung der Prüfuug erfolgt die feierliche Entlassung der Abiturienten durch den Director.

Der Abiturient Fischer und der Primaner Aegidi werden sich in Reden, die von ihnen selbst gefertigt sind, versuchen.

Schlussgesang, Motette von Hesse, unter Leitung des Cantor und Musikdirector Sobolewski.

---

Der Anfang des Sommerhalbjahrs ist auf Mondtag d. 4. April, Morgens 7 Uhr festgesetzt. — Zur Prüfung der in das Gymnasium neu Eintretenden sind die Vormittagsstunden der Ferientage bestimmt.

*Ellendt.*

# De intercessione tribunicia.

## §. I.

Exactis regibus, tanta in republica potestas consulibus data erat, ut nomen tantum regis repudiatum, res mansisse videretur (Cic. de legg. III, 7. Liv. IV, 5). Quare quamvis patricii plebi libertatem se largitos esse gloriarentur, tamen plebejis haec libertas plus molestiae ac miseriae, quam utilitatis afferebat. Quum enim reges, metu maxime patriciorum, quorum opes auctoritatemque de industria infringebant, plebis favorem sibi conciliare et ob hanc rem id, quo communi saluti utile esset, efficere saepe studuissent: consules horum nihil faciebant, sed multa fallaciter promittendo, plebem eludebant, nec quidquam spectabant aliud, nisi ut incommodo miserae ac jejunae plebeculae sua commoda augerent, et *magnas opes sibi magnumque nomen facerent*. Aliunde vero plebejis, mirum quantum foenore laborantibus, eo minus auxilii sperare licebat, quod consules domi forisque, neque minus in comitiis quam in senatu principatum tenebant. His de causis plebs, quum ad extrema ventum esset, facta secessione in montem sacrum, ante omnia hoc a legatis senatus postulavit, ut plebeji magistratus crearentur, qui non modo iure consulis non tenerentur, sed etiam auxilium adferrent privatis, consuli non parentibus (Cic. de legg. l. c.). Quo concesso, tribuni plebis quinque creati iisque adversus consules auxilium ejusmodi traditum est, ut per totam urbem, et ab urbe mille passuum, dies noctesque pro commodis plebis excitarent, intercessionibusque faciendis injuriam, quae coram fieret, arcerent.*).

Fuit igitur tribuniciae potestatis, qualis in monte sacra nata est, simplicissima ratio: quod cogitanti mihi, quam parva illo tempore urbs Roma fuerit, deinde nullum in ea, praeter consules, magistratum fuisse, cujus imperio plebeji subjecti es-

*) Liv. II, 33. Dionys. Halic. XI, 3. 54. Cic. de rep. II, 33. Gell. N. A. XIII, 12. — Legem, quam Cic. de legg. III. 3. proposuit: *Plebes, quos pro se contra vim, auxilii ergo, decem creassit, Tribuni ejus sunto* cet. —, non antiquissimo tempore conscriptam esse, argumentum docet. — Cf. etiam Liv. VI, 38: — *intercessio, secessione quondam plebis parta* cet. Auxilium tribunicium non longius ab urbe mille passuum patuisse, videmus ex Liv. III, 20. Non recte igitur Dionys. VIII, 87. tribunos pl. scribit extra urbem nihil potestatis habuisse, sed eorum potestatem moenibus circumscriptam fuisse. Goettlingius (Gesch. der Röm. Staatsverf. p. 291 extr.) melius fecisset, si fontem, unde hausit, indicasset.

sent, mirum nunquam visum est. Neque tamen pro eo, quod ista aetate Romani reipublicae parum periti erant, certioribus statim finibus tribunatus terminari potuit; siquidem probabilis conjectura est, plebejos aeque ac patricios, quum primum de creandis tribunis inter se convenerint, nullius temporis, nisi cuius memoria omnium animis penitus adhuc infixa esset, rationem habuisse. Quo tempore quum plebeji, nulladum administrandae reipublicae cupiditate incensi, ob aes alienum et bella sine ulla fere intermissione gesta, miserrima saepe conditione fuissent; id unum cavendum erat, ne pristina mala redirent, sive, ut Cicero dicit, ne id, quod fuerat ante, esset. Sed haud ita multo post, quum, mutatis temporibus, vires suas plebes sentire et ad munera publica aspirare coepisset, ac summa plebejorum salus in certamine de aequabilitate juris suscepto versaretur; tribunos plebis consentaneum est nihil antiquius habuisse, quam ut potestatem suam ad tempus accomodarent, et, in quantum id fieri posset, augerent.

## §. II.

Quamvis autem parva fuerint tribuniciae potestatis initia, et quamvis multa ad potestatem initio acceptam tribuni plebis data occasione addiderint, quae cum legibus sacratis, quibus auxilium tribunicium antiquitus continebatur, minus convenirent; tamen monendum censeo, ne quis hodie quoque, quum intellexerit, quantum intersit inter antiquissimum tribunatum et illam, quam cadentis reipublicae aetas vidit, tribuniciae potestatis magnitudinem, pleraque tribunorum plebis jura, etiamsi sint antiquissima, temere judicet vi comparata patriciisque sensim sensimque extorta esse*). Ipsi quidem veteres historiae Romanae auctores in hoc falso judicandi periculum nonnunquam nos inducere videntur, quia de antiquissima tribunatus forma et amplitudine non aliter, ac strictim atque cursim loquuntur et in distinguendis iis rebus, quarum explanatio clariorem aliquam lucem afferre posset, parum diligentes sunt. Sed hoc tanto acrius ad libros eorum iterum ac saepius legendos nos incitare debet, et qui studiosissime quaeret, ei, opinor, continget aliquando, ut verum inveniat.

Ex illo loco, quam ex Cicerone supra attulimus: *tribunus auxilium attulit privatis — consuli non parentibus*, colligere quispiam possit, in monte sacro hoc solum constitutum fuisse, ut tribuni singulis plebejis, a quibus adversus consules appellati essent, auxilium ferrent ac vim fieri vetarent; universam vero plebem tribunos auxilio suo ab initio non amplexos esse. Talique loci Ciceroniani interpretationi ipse Livius ac Dionysius Halicarnasseus subvenire videntur; quorum alter (III, 9) Q. Fabium seditiosos tribunos admonentem inducit, ut primum omnium cogitent,

---

*) Fecit hoc inter alios Wittichius in libro suo De reipublicae Rom. ea forma, qua C. Cornel. Sulla dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit —, pag. 27 et seqq., multisque neque ex ordine collocatis, neque satis consideratis locis, praecipitatum de plerisque rebus judicium fecit, veraque cum falsis mirum in modum miscuit. Sed Witttich. eo magis excusandus videtur, quod alia re ad tractandum proposita, tribunatus primordia non prorsus negligenda nec silentio sibi praetermittenda esse putavit — pag. 21. —

*potestatem tribuniciam ad singulorum auxilium, non ad perniciem universorum comparatam esse*; alter vero plus quam semel adversarios tribunorum dictitasse narrat, *μηδὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς συγκεχωρῆσθαι τοῖς δημάρχοις ἔξω τοῦ βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις τῶν δημοτικῶν* (A. Rom. VII, 17. cf. etiam VI, 87. X, 34). Verum tamen istam interpretationem falsam esse, videbimus. Primum enim jam hoc magnam suspicionem movet, quod patricii sunt, a quibus tribuni illud admonentur; deinde quum apud eundem Dionysium inveniamus (XI, 3.), solis tribunis plebis antiquitus licuisse, omnibus consulum jussis intercedere; vis tribunicii auxilii sub nostris oculis crescere videtur, cogimurque concludere: quoniam jussa consulum cum singulos, tum universos plebejos attigerint, tribunis plebis in utramque partem vigilandum, et nunc videndum fuisse, ne singuli injuriam paterentur, nunc consulibus resistendum, si quid jussum esset, quod vel pluribus, vel universis plebejis nociturum videretur. Maximi vero momenti denique illud est, quod iidem illi scriptores, qui tribunicium auxilium tam arctis terminis circumscripsisse videbantur, multis locis referunt, tribunos plebis jam antiquissimis temporibus etiam adversus senatusconsulta, quippe quae auctoritate quadam vel consulum, vel minorum etiam magistratuum fierent, intercessiones fecisse; atque adeo passim confirmant, hanc senatusconsultis intercedendi potestatem eos ex legibus habuisse. Quod si ita fuit, jam nemini potest dubium esse, quin tribunicia potestas latius, quam ad singulorum tantum auxilium, pertinuerit. Nam senatusconsultis intercedere, et quod universus senatus de rebus omnium decreverit, id propter metum, ne communem salutem laesurum sit, ratum esse vetare, quid est aliud, nisi universam plebem universumque populum et tueri et defendere?

Sed ne quis dicat, nos nimis leviter haec disputasse, refert ad ipsum scientiae nostrae fontem propius accedere. Audi igitur Dionysium (IX, 1.): anno ante Chr. n. 481. duo facta erant senatusconsulta, unum de rebus domesticis, alterum de bello cum Aequis et Etruscis gerendo; *ἀνέπραττε δὲ πρὸς ταῦτα Σπόριος Σικέλιος, τῶν δημάρχων εἷς —, καὶ οὐδὲν ἔφη συγχωρήσειν ἐπὶ τῶν πολεμίων, οὔτε τῶν κατὰ πόλιν ὑπὸ βουλῆς ψηφιζομένων ἐπιτελεσθῆναι* (vid. ibid. XI, 54. 55. 57.) —; et Livium (IV, 6.): *consules, quum per senatum, intercedentibus tribunis, nihil agi posset, consilia principum domi habebant.* Neque his, neque aliis locis, ubi tribunos senatusconsultis se interposuisse legimus, patricii queruntur, quod tribuni plebis fines potestatis suae transierint; sed — ut taceam, quod per se intelligitur, patricios insito odio magistratum tribunicium persecutos esse, et tribunos difficillimis istis temporibus vix ullum gradum fecisse, quin cum defensoribus licentiae nobilium certandum esset — ut hoc, inquam, taceam, consules principesque id maxime exacerbabat, quod tribuni tanto studio tantaque paene atrocitate in jure suo perseverabant. Ob hanc causam, quum Sp. Icilius, vehemens ille agrariae legis agitator, senatusconsultis, quae Dionysius l. c. memorat, intercessisset, Appius Claudius perculso senatui suasit, ut, quae una vis esset ad tribuniciam potestatem frangendam, dissidium inter tribunos plebis excitaret: simul autem, ut patricii a violandis tribunis abstineant, monet, eum qui senatusconsultis intercesserit, esse sacrosanctum et ex ipsis legibus hanc vetandi potestatem habere, et pro suo magistratu impedire posse, quibuscunque se interposuerit. A qua admonitione non multum

porro differt, quod Livius L. Papirium Magillanum loquentem facit. Res narrata est lib. IV, cap. 43. *Moles discordiarum,* Livius ait, *inter plebem ac patres exorta erat, coepta a duplicando quaestorum numero.* Propter quas discordias quum senatus consules, quam tribunos militum creari mallet, neque posset per intercessiones tribunicias senatusconsultum fieri; respublica a consulibus ad interregnum rediit. Sed ne interreges quidem quidquam profecerunt, donec L. Papirius Magillanus proditus est. Is, deseri omittique ab hominibus rempublicam vociferans, patres ac tribunos plebis adhortabatur, ut, *remittendo de summa quisque juris, mediis copularent concordiam: patres, patiendo tribunos militum pro consulibus fieri: tribuni plebis, non intercedendo, quo minus quatuor quaestores promiscue de plebe ac patribus libero suffragio populi fierent.* — Effecitque, ut pax in praesens restitueretur.

His expositis, jam satis apparere crediderim, ea, quae irati furiosique patricii contra tribuniciam potestatem dixisse perhibentur, facile superari testimoniis eorum patriciorum, qui, quamvis et ipsi tribunis infesti sint, tamen ne nova patriae pericula excitentur, non injuste ac violenter imminuendum censeant, quod si non nomine, certe re ipsa tribunis semel concessum sit. Non est autem in Livii Dionysiique testimoniis mihi acquiescendum, sed longius circumspiciendum, si forte possit aliorum quoque scriptorum auctoritate sententia mea firmari. Ac maxime opportunum illud videtur, quod Valerius Maximus (II, 2, 7.) memoria repetit, tribunis plebis intrare curiam non licuisse: *ante valvas autem,* inquit, *positis subselliis, decreta patrum attentissima cura examinabant; ut, si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus senatusconsultis* T *litera subscribi solebat: eaque nota significabatur, ita tribunos quoque censuisse.* — Haec ad antiquissima tribunatus tempora spectare, mihi quidem inde probabile videtur, quod ex Livio et Dionysio scimus, jam primo saeculo post secessionem in montem sacrum in consuetudinem venisse, ut tribuni plebis, dum magistratum gererent, in ipso senatu essent.*) Sed paulo aliter visum est Niebuhrio: quamquam quod (Röm. Gesch. II, 435. 436.) suspicatur non ante legem Canulejam valvas Curiae tribunis plebis ape-

---

*) „*In senatu esse*“ et „*senatum intrare, curiam introire*“ non idem esse, quod est: „*senatorem esse, in senatum legi*“, nemo erit, qui nesciat. — Ceterum de jure ac dignitate senatoria tribunorum pl. mihi quidem non licet in hoc opusculo accuratius disputare; sed Goettlingius (p. 293.) credo, de ea re copiosius scribere debuit. Unam tamen rem non me teneo quin attingam. Goettlingius nos admonet plebisciti Atinii, cujus Capito apud Gellium XIV, 8. mentionem fecit his verbis: *et tribunis plebis senatus habendi jus erat, quamquam senatores non essent, ante Atinium plebiscitum.* Quaerentibus vero nobis, quonam anno hoc plebiscitum ortum sit, G. breviter respondet: Vielleicht 423, suadetque, ut consulamus Pighium III, 20. Atqui Pighius cum Goettlingio non consentit, sed putat legem Atiniam anno 623 a. u. c. (131 a. Chr.) latam esse, habetque, qui assentiantur, Manutium de legg. Rom. in Graeq. thes. II, 1038 extr., et Anton. Augustinum de legg. ibid. p. 1180. Suspicor igitur, annum 423 mendose typis descriptum esse pro: 623; sed cur G. particulam: Vielleicht, addiderit, nescio. Num tanta est dubitatio, ut verendum sit, ne alii aliter de origine legis Atiniae sentire possint? Hoc mihi non videri, libere confiteor. Primum enim, legem Atiniam non ante annum 623 (131), quo C. Atinius Labeo tribunus plebis fuit, latam esse, vel ex una Livii epitome 59 dilucide apparet: *C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo praeteritus erat, de saxo dejici jussit: quod ne fieret, ceteri tribuni auxilio fuerunt.* — Huc quum accedat, quod etiam Plin. H. N. VII, 44. narrat, C. Atinium Labeonem a Q. Metello censore e senatu ejectum esse, atque Cicero pro dom. 47. adeo dicit, eundem C. Atinium Labeonem et Q. Me-

riri coeptas esse, non vacat magna dubitatione. Livius (IV, 1.) dicit, Canulejum tribunum pl. pauca in senatum vociferatum esse: hinc non patet, tribunos pl. ante hoc tempus a senatu prorsus abfuisse; sed multo facilius inde colligitur, Canulejum tribunorum vehementissimum et gravissimarum rogationum auctorem, aut aliquanto plus, quam collegas, ausum esse, aut vocatu patriciorum curiam intrasse, ceteris tribunis ante apertas curiae valvas legitime relictis. Si nihil fecisset Niebuhrius, nisi ut diceret, non ante legem Canulejam tribunis pl. subsellia ante valvas curiae ponere licuisse, ego, quamquam haec ipsa levior conjectura esset, tamen non ita cupide repugnarem, quia non de ponendis subselliis, sed de praesentia tribunorum agitur. Nam licet ista vitae commoditas, ut, tanquam ad concitandam vel augendam patriciorum offensionem, sedentes intercessionem pararent, tribunis plebis ab initio denegata fuerit: non est tamen, quod negemus eos in vestibulo curiae stantes vel obambulantes patrum deliberationes audire solitos esse, donec interjecto tempore, quum senatores invisum intercedentium adspectum vitare nullo modo possent, impetrarint quoque, ut ibidem subsellia collocarent. Aliter enim ne istos locos quidem, ubi Livius et Dionysius senatusconsultis continuo intercessum esse indicant, interpretari possemus. Quomodo autem posterius factum sit, ut tribuni plebis in ipsam curiam introirent, hoc nescio an ex eadem Valerii Maximi adnotatione conjici possit. Liceat mihi pluribus verbis uti. Valerius scribit, usitatum fuisse, ut tribuni veteribus senatusconsultis, quae comprobassent, literam T subscriberent. Ad quamnam reipublicae aetatem haec vetera senatusconsulta putabimus referenda esse? Ad eam, qua tribuni plebis jam in curia esse et cum senatoribus de rebus decernendis discessiones facere solebant? an ad illam antiquiorem potius, ubi tribuni, senatu exclusi, de longinquo audiebant, quid in curia ageretur? Si ad haec respondere facillimum est: num incredibile videtur, ipsos patricios ob id, quod jus literae T senatusconsultis subscribendae molestissime ferrent, tribunis pl. suasisse, ut, hoc iure sublato, ipsi senatui in posterum interessent? Hoc enim jure brevi tempore rem eo adductam esse opinor, ut senatores, quum senatusconsulta tribunis pl. adprobanda darent, apparitores; tribuni vero, quum legerent et subscriberent, domini principesque esse viderentur. Neque tamen mirabimur, quod tribuni plebis tantum jus, nulla vi cogente, deposuerint, si cogitaverimus, introitum in senatum illecebrarum plenum fuisse, cum propter speciem aucti honoris, tum quia tribuni haud dubie spem adjungebant, fore, ut, si inter senatores essent, facilius ad proposita pervenirent. Sic jus illud minime spernendum, ut antiquissimo tempore tribunis pl. datum, ita jam antiquo tempore evanuisse puto, praesertim cum, excepto Valerio Maximo, nemo scriptorum veterum mentionem ejus usquam fecerit. Nam quod ex Julio Paride (cf. Goettling. Gesch. der Röm. Staatsverf. p. 293. not. 5.) afferri potest, tribunos plebis non literam T, sed C (censuisse) subscripsisse; hoc, si quid habet ponderis, magis confirmandae, quam infirmandae sententiae

telli et Lentuli censoris bona consecrasse: quis dubitabit, quin idem iratissimus tribunus legem, suo nomine appellatam, tulerit: *ut quem tribunum plebs sibi creasset, is hoc ipso in posterum senator esset?* Post hunc Atinium Labeonem nullus amplius tribunus exstitit, qui se a censoribus in legendo senatu praeteritum esse quereretur: quod antea non paucos questos esse credo. Cf. Liv. XLV, 15.

meae esse videtur, quum, nisi jam florente republica obsoletum et oblivioni datum jus illud fuisset, vix potuisset fieri, ut de re prope quotidiana diversa traderentur.

Praeter Valerium Maximum etiam Ciceronem mihi suffragari putaverim, quippe qui (de rep. II, 34) duos scribat tribunos pl. per seditionem creatos esse, *ut potentia senatus atque auctoritas minueretur*. Quid enim? Aliane ratione potuisset fieri, ut tribuni senatus auctoritatem minuerent, quam concesso senatusconsultis intercedendi iure? At erunt fortasse, qui existiment, Ciceronem hoc loco de tribunis et suae et omnis aetatis universe locutum esse, et minus intercessionem tribuniciam, quam comitia tributa intellexisse, quibus institutis, tribuni pl. eam calamitatem patriciis intulerunt, de qua Q. Cicero (de legg. III, 9) graviter conquestus est. His equidem, quum Ciceronis auctoritate non indigeam, diutius repugnare in animo non habeo, modo ne quis mihi objiciat, quod M. Varro apud Gellium (XIV, 7) tradit, *intercedendi, ne senatusconsultum fieret, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui senatusconsultum facere vellent, majoreve essent.* Nam Varro neque de antiquissima tribunatus aetate loquitur, et, quod ad ius senatorium pertinet, tribunis pl. eandem eodem loco potestatem attribuit, quam dictatoribus, consulibus, praetoribus, interregi, praefecto urbi. Est igitur potius aliud quid in verbis Varronis memorabile, quod praeteriri non debet. Quum enim tribuni pl. jus senatusconsultis intercedendi, ut ex legibus sacratis iuste derivatum, prius habuerint, quam in senatum recepti sint: Varro nos docet, legitimam tribunorum potestatem cum ea, quam temporis progressu acceperint, brevi adeo coaluisse, ut deinde nemo ullum discrimen inter utramque faceret, sed tribuni pl. ab omnibus „*more majorum*“ senatum habere et senatusconsultum facere dicerentur.

Quamquam autem me jam longius prolapsum esse video, tamen, priusquam ad tertium hujus disputatiunculae caput transgrediar, duas res, quae huc maxime pertinent, paucissimis verbis adnotandas duco.

Si tribunus plebis interdixerat, senatusconsultum quidem fieri non poterat: sed plerumque perscribebatur tamen senatorum iudicium ac voluntas, eaque senatus auctoritas dicebatur *).

Per totam illam aetatem, qua tribuni pl. id maxime enitebantur, ut plebeji eodem, quo patricii, jure cum privato, tum publico uti posent, intercessio adversus senatusconsulta ut patriciis acerba, ita universo populo salutaris erat. Sed insequentibus temporibus, quum jam uno eodemque vinculo omnes Romani conjuncti essent, eadem illa intercessio, in malum publicum sensim conversa, ad maturandam reipublicae perniciem plurimum valuit. Nam tantum tum quidem aberat, ut tribuni pl. suas rationes publicae saluti postponerent, ut ob turpissimas saepe causas senatusconsultis adversarentur, metuendumque esset, ne omnis senatui honor eriperetur **). Cui calamitati meliores nonnulli cives obsistere conati, exceptiones

---

*) De qua re, si quis est, qui plura comperire velit, adeat Drakenborch. ad Liv. IV, 57, et P. Manut. ad Cic. ep. fam. I, 2. Sed vellem Manutius distinctius, qnam verbosius disseruisset. Quod opinatur, senatusanctoritatem aliquoties, nulla antecedente intercessione, pro ipso senatusconsulto dictam esse, in eo lubenter ei assentior.

**) Sallust. Jug. 27: *bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum.* —

quasdam intercedendi inducebant, quibus tribuni pl. in senatu tenerentur. Inter hos cives C. Gracchum nomino, qui, etsi ipse tribunis pl. maximeque popularis erat, legem tamen tulit, ut provinciae quotannis a senatu constituerentur ante comitia designandis magistratibus in sortem mittendae, neve deinceps senatus de consularibus provinciis decreto quis intercederet. Ceteri tribuni pl. C. Graccho non restiterunt, et legem Semproniam aliquamdiu mansisse certum est*). Postquam vero anno 59. a. Ch. Vatinius tribunus pl. pervicit, ut in Caesaris gratiam ea lex tolleretur, nova in senatu de provinciis consularibus exorta contentio a. 51, et, quoniam nulla alia spes salutis esse videbatur, rursus ad illud decursum est: *senatum existimare, neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram adferre oportere, quo minus de republica quam primum ad senatum referri, senatique consultum fieri possit. Qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rempub. fecisse.* Sed jam hoc ipsum frustra tentatum est; nam, intercedentibus quatuor tribunis, nihil nisi senatusauctoritas perscribi potuit: qua quum duobus annis post consules adduci se passi essent, ut notissimam illam intercessionem M. Antonii et Q. Cassii pro nihilo ducerent, seditiosis his tribunis causam e Roma fugiendi, Caesari vero incipiendi belli civilis occasionem dederunt**).

In alia re senatus anno 57. a. Ch. longius etiam processit, siquidem, ut rogatio de Cicerone revocando perferretur, non modo in senatu, verum comitiis etiam centuriatis intercessionem removendam esse existimavit: non quo putaret, legibus hoc factum esse, sed quia inter arma civium leges silebant, nec quidquam magis referre videbatur, quam ut vis vi repelleretur. (Cic. post red. in sen. 11; pro Sext. 61; in Pison. 15).

Praeter has, quas dixi, exceptiones intercedendi senatus nullum tribuniciae intercessionis remedium habebat. Nam duas leges, Aeliam et Fufiam, quibus Cicero (in Vatin. 7 et aliis locis) saepenumero tribunicios furores debilitatos et repressos esse affirmat, nemo ignorabit de comitiis tantum latas esse, ad tribunorum seditiosas legum lationes coercendas. Neque proderat in senatu illud jus intercedendi, quod in comitiis unus tribunus vel adversus omnes collegas obtinebat; quum hoc sapienter comparatum esset, ut tribuno, qui legem rogasset aut fieri aliquid iussisset, intercedi posset; tribuno vero, qui ipse intercessisset et impedivisset, iterum intercedi non posset.

## §. III.

Si ex auxilii latione, quae tribunis pl. adversus consules commissa erat, necessario sequebatur, ut tribuni omnibus consulum iussis omnibusque actionibus intercedere possent: quaestio paene supervacanea atque inutilis esse mihi videtur, utrum tribuni delectui comitiisque habendis, magistratibus creandis, judiciis facien-

---

*) Wittich. p. 176. 177 aliquot huc pertinentes locos collegit. Sed vide de lege Sempronia etiam Cic. pro dom. 9. in Vatin. 15. ad fam. I, 7, 26.

**) De his contentionibus potissimum agitur in Cic. ep. ad fam. VIII, 8. Ceterum consulendus est Drumannus: Gesch. Roms cet. III, p. 380—381. 389. 390. 405—407.

dis iure, nec ne, intercesserint. Non possum igitur cum Wittichio jus delectum impediendi usurpatum appellare, quamquam non nego, patricios primum impeditionis illius exemplum „*tanquam novum aliquid atque insolitum fuisse abominatos*“ *). Constat tamen, tribunos pl. hoc jure saepius abusos esse, quum intellexissent, inter strepitum tot bellorum nulla alia re consules ac patricios ab impediendis actionibus legibusque tribuniciis vehementius deterreri. Nihilominus, si justi rerum Romanarum aestimatores esse velimus, concedendum erit, in universum jus impediendi delectus multo magis profuisse, quam nocuisse: namque hoc potissimum adjumento tribuni pl. leges reipublicae saluberrimas pertulerunt, ut legem Terentillam **), legem Canulejam, de qua supra mentionem feci, imo interdum plebi jam nimis graviter vexatae laxamentum a tributo et foenore aliisque rebus paraverunt ***). Quam diu tribuni pl. morem impediendi delectus severe servaverint, non satis compertum habeo; sed tamen facile mihi persuasi, novissimum impediti delectus exemplum jam antiquiore aetate editum esse, et illam juris tribunicii partem in dies magis extabuisse, ex quo Romani, obtenta illa in rebus causisque civium aequalitate, et mutata belli gerendi ratione, totius Italiae totiusque orbis terrarum imperium affectare coeperint. Nam illud certe singulare fuit, quod C. Licinius Macer, tribunis pl. anno 73 a. Ch., quum nobiles homines obstarent, quominus jura, a Sulla ademta, tribunis pl. restituerentur, seditiosis concionibus

---

*) Verba Wittichii in libro supra commemorato pag. 27. cf. Liv. II, 43. 44. Dionys. VIII, 87. Liv. III, 17: — *Ultimum orationis fuit, Se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma. Si quis impediat, jam tribuniciae potestatis sacratarumque legum oblitum, quisquis ille sit, — pro hoste habiturum.* —

**) Liv. III, 11. 20. 25. 30. Dionys. X, 26. 33.

***) Metuo ut recte faciat Goettlingius, qui pag. 292 impeditioni tributi eandem prorsus vim attribuat, quam inhibitioni delectus. Delectui enim habendo tribunos sexcenties intercessisse scio; sed ut tributum conferri prohiberent, rarissime et gravissimis tantum causis eos adductos esse puto. Itaque vellem Goettling. plura exempla attulisset, quam unum illud ex Liv. V, 12 petitum; quod quidem tribuni tristissimo sane tempore ediderunt, cum propter patriciorum dominationem et insatiabilem bellandi et imperii proferendi cupiditatem querendum esset (cap. 10): *Unum bellum annum jam tertium trahi, et consulto male geri, ut diutius gerant: in quatuor deinde bella uno delectu exercitus scriptos, et pueros quoque ac senes extractos. Jam non aestatis nec hiemis discrimen esse, ne ulla quies umquam miserae plebi sit; quae nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit* cet. cet. — Tali tempore tribunos, plebis defensores, omnia ausos esse nec quidquam, quod modo impediendo assequi possent, pro illicito habuisse, quis mirabitur? Verum tamen verisimile est, ne hoc quidem tempore tribunos conferendo tributo intercessuros, sed potius delectum impedituros fuisse, nisi illud ipsum, quod in quatuor bella uno delectu exercitus a patriciis conscripti erant, majorem severitatem adhibere eos coëgisset. — Aliud exemplum affero ex Liv. IV, 60. Sed dubito, num hoc habeat sui simile. Nam, si Livium audiamus, senatus, *ante mentionem ullam plebis tribunorumve,* decreverat, ut stipendium miles de publico acciperet. Hoc senatus decreto incitati tribuni, quum plebem a senatu abalienare non potuissent, edixerunt, *auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset* —, atque hoc ita acceptum iri haud dubie putarunt, quasi vocibus non solemnibus pronuntiassent, illud senatus decretum sibi non probari. — Quod vero equidem scripsi, tribunos impedito delectu nonnunquam levamentum tributi aut foenoris plebi praestitisse, id probare possum ex Liv. VI, 31: — *violentior potestas tribunicia impediendo delectui erat: donec conditiones impositae patribus, ne quis, quoad bellatum esset, tributum daret, aut jus de pecunia credita diceret* —; cui loco comparandum est initium capitis 32: — *et tantum abesse — non habebant tribuni plebis.*

Quirites ad detrectandam militiam sollicitare conatus est *). Fortasse Licinio Macro, qui conscribendis annalibus operam navasset, vetustatis imago ante oculos obversabatur; sed vulgus tum vix sensisse videtur, quid a se postulatum esset, ac lubenter suppressit iram, quum senatus, emto frumento, inopiam in praesens minuisset.

Quod ad (centuriata) comitia, maximeque ad ea, quae creandis magistratibus curulibus instituebantur, pertinet, non opus est pluribus demonstrare, iis eodem, quo delectui, jure tribunos pl. intercessisse, praesertim quum haec comitia impedire, revera nihil aliud esset, nisi intercedere consulibus ea comitia habentibus. Ac parum intererat, utrum pro consulibus dictator an interreges comitiis praeessent, quia ille *tristi suo imperio* tribuniciam potestatem non tollebat **), hi minore etiam auctoritate, quam consules, erant ***). Quamquam autem nemo infitiabitur, tribunos hac quoque intercessione licentius usos esse; tamen mirum est, quam praeclaros fructus plebs inde perceperit. Postquam enim consulum loco tribunos militum consulari potestate creare moris fuit, tribuni plebis praeter comitiorum dissolutionem primum nihil habebant, quo plebejis ad novum istum honorem viam munirent; paulo post lex Licinia illa, comitiis omnium magistratuum per quinquennium sublatis, perlata est — Liv. VI, 35 cet. —, et insequenti tempore, nobilibus hominibus saepius laborantibus, ut ambo consules patricii fierent, tribuni pl. hoc uno fere instrumento animos adversariorum fregerunt †). Nec minorem civitati utilitatem jus intercedendi comitiis eo temporis spatio tulit, in quod bella Punica inciderunt. Tum enim tribuni plebis ad custodiendas leges, quae de comitiis habendis et de magistratibus petendis latae erant, intenti, multos in tempore terruerunt, et, si nihil aliud, certe id semper effecere, ut vel potentissimi audacissimique homines sibi temperarent ††). Sed post Gracchorum aetatam satis notum est intercessione adversus comitia pessimis quibusque ordinis turbandi causam et occasionem praebitam esse. Jam ipse Tiberius Gracchus audacior fuit; hunc brevi tempore multi imitati sunt; imprimis vero Pompejus Magnus, quum anno 56 secundum consulatum, anno 53 dictaturam appeteret, ad dissolvenda magistratuum curulium comitia tribunis plebis — haud scio an turpius, quam callidius — abusus est †††).

---

*) Sallust. hist. fragm. III. — *non arma, neque secessionem, tantummodo, ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, censeo. Gerant, habeantque suo modo imperia; quaerant triumphos; Mithridatem, Sertorium et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis Absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est.* —

**) Plut. quaest. Rom. 81 — (οἱ δήμαρχοι) οὐ παύονται δικτάτωρος αἱρεθέντος, ἀλλὰ πᾶσαν ἀρχὴν ἐκείνου μετατιθέντος εἰς ἑαυτὸν, αὐτοὶ μόνοι διαμένουσιν, ὥσπερ οὐκ ὄντες ἄρχοντες. — cf. Plut. Camill. 39. Polyb. III, 87. Liv. III, 29. VI, 16. 38. 42. VIII, 33—35.

***) Comitiis a dictatore aut interrege institutis tribuni intercedunt Liv. V, 17. VII, 17. 21. 22.

†) Quanta pertinacia atque invidia de hac re interdum certatum sit, Livius ostendit VII, 21: *Extremo anno comitia consularia certamen patrum ac plebis diremit, tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum Liciniam legem haberentur; dictatore obstinato tollere potius totum e republica consulatum, quam promiscuum patribus ac plebi facere. Prolatandis igitur comitiis, quum dictator magistratu abiisset, res ad interregnum rediit. Infestam inde patribus plebem interreges quum accepissent, ad undecimum interregem seditionibus certatum est.* —

††) Liv. XXV, 2. XXVII, 6. XXXII, 7.

†††) Dio Cass. XXXIX, 27. XL. 45. 46. Liv. epitom. 105. Cic. ad Attic. IV, 15. 16. Plut. Pomp. 54. Ascon. argum. Mil. pag. 32. ed. Orelli.

Brevissime addendum est, etiam tribunos plebis, sicuti ceteros magistratus, jus de coelo servandi et obnuntiandi habuisse, eoque jure, si minus antiquo tempore, tamen postremo reipublicae saeculo saepius impedivisse, quominus comitia perficerentur *).

## §. IV.

Satis exploratum habemus, consules primis reipublicae temporibus etiam in privatis causis judicandis occupatos fuisse. Initio autem, provocatione ad populum rara et longa, judicia eorum multis molesta, ne dicam perniciosa fuisse, ex deterrima plebejorum conditione colligo. Sed creatis deinde tribunis plebis, haec quoque consularis potestatis pars minuta est. Namque inde ab hoc tempore, si quis judiciali consulum sententia se laesum putaret, tribunos pl. appellare poterat: qui, si rem approbassent, decretis consulum intercedebant. Idque e lege prorsus faciebant. Interjecto tamen temporis spatio, tribuni ex hac auxilii ferendi ratione sibi ipsis speciem quandam jurisdictionis derivarunt, eamque, quum patricii privatarum causarum cognitionem a consulibus ad praetorem transtulissent, non retinuerunt solum, sed etiam magis magisque et auxerunt et excoluerunt, prout res judiciaria ipsa a praetoribus ordinata est. Tunc enim ad prehensionem, quam tribuni antiquitus habebant, accessit vocatio, neque a senatu populove data, neque legibus adstricta (Gell. XIII, 12). Quod ne quis falso interpretetur, notandum est, iis, quos tribuni pl. vocari jussissent, non tam in concionem (in rostra), quam ad subsellia tribunorum in foro plerumque posita eundum fuisse. Etenim quum tribuni antiquitus per urbem ambulassent et in loco injurias propulsavissent, urbe amplificata in consuetudinem venit, ut in foro, ad argentariorum mensas, ad tabulam Valeriam et Sextiam, vel in basilica Porcia a Catone Censorio ad forum exstructa, positis subselliis, commorarentur, quo facilius ab indigentibus inveniri possent **). Verum saepius, si non contigisset, ut lis ad subsellia tribunorum componeretur, concio advocabatur ***). Neque tamen tribunos adeo arrogantes tamque cupidos

---

*) Gell. XIII, 14 in edicto consulum, quo edicebant, qui dies comitiis centuriatis futurus esset, scriptum esse dicit ex vetere forma perpetua: *Ne quis magistratus minor de coelo servasse velit*; eodem loco Messala augur docet, qui sint majores magistratus et qui minores. — Sed cf. Cic. de legg. III, 3. *Omnes magistratus auspicium judiciumque habento.* Ad Attic. IV, 16. Drumann Gesch. Roms II, 239–240.

**) Manut. ad Cic. ep. fam. XIV, 2 Ernest. clav. Cic. s. v. tabula. Plut. Cat. min 5. init.

***) Liv. XLII, 33 init. — *ad subsellia tribunorum res agebatur. eo M. Popillius consularis, advocatus, centuriones, et consul venerunt. Consuli inde postulanti, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus.* cf. Cic. pro Cluent. 34. 40. — *rem ab subselliis in rostra detulit.* — Goettling., qui de tribunicia potestate breviter quidem ac jejune (id quod suscepti operis ratio postulabat), sed tamen Wittichio et Rubinone multo utilius exposuit —, Goettl. (Gesch. der röm. St p. 295) persuasum habet, putidam (veteris) juris scientiae jactationem („eine juristisch-antiquarische Pedanterei". Rubino de tribun. potest. p. 27 dicit, morosam quandam antiquitatis tenacitatem in Labeone fuisse) in causa fuisse, cur Antistius Labeo (cf. Gell. l. c.) vocantibus tribunis pl. non paruerit, sed potius viatori dixerit: *posse eos* (tribunos pl.) *venire et prendi se jubere; sed vocandi absentem jus non habere.* — In quo equidem pluribus de causis a Goettl. dissentio, et

judicandi fuisse credo, ut, quaecunque causae ad se delatae essent, eas cognoscerent: sed saepenumero fecerunt, ut rem ad senatum aut ad consules rejicerent *), ne auctoritatem senatus minuerent, neve aliorum magistratuum jura violarent. Res alia erat, quum de prohibenda injuria agebatur. In ejusmodi enim causis jura tribunorum, quod ad jurisdictionem pertinebat, eadem fere erant, quae praetoris,

potissimum propterea, quod, si de ea re Antistium Labeonem reprehendimus, una et M. Varro reprehenditur, auctor gravissimus. Is enim (Gell. l. c.), ut Goettlingio notum est, diserte affirmat, tribunos pl. prensionem habuisse, vocationem non habuisse; seque ipsum neque, quum triumvir esset, tribunorum vocationi paruisse, neque, quum tribunatum gereret, vocari quemquam, vel vocatum a collega parere invitum, jussisse. Lubenter autem equidem credo, rarum fuisse, ut ex collegio tribunorum aliquis vocatione, quam temporis longinquitas sanxisse videbatur, sua sponte, ut M. Varro, abstineret; et rarius etiam, ut privati, Antistii Labeonis exemplo, contemta vocatione vetus jus tenerent. Nam facile sane intellectu est, homines longe plerosque id, quod Antistius Labeo tranquillo animo exspectasse videatur, vehementer timuisse, id dico, ne inevitabiles tribuni plebis eos, qui vocati non ivissent, aut prendi et in vincula duci juberent, aut, quum a subselliis tribunorum in concionem populi uno gradu perveniretur, arrepta qualicunque occasione, diem iis dicerent. — Gellio quidem ipsi verba Varronis aliquam dubitationem habere videbantur; sed quum accuratius etiam ex aliis quaesivisset, edoctus est, Varronem recte dixisse: *tribunos plebis enim antiquitus creatos videri non juri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus praesentes fuissent.* Hanc intercedendi impediendique potestatem brevi tempore a tribunis plebis cum potestate administrandi et gubernandi (Cic. pro Planc. 5.) junctam esse, uno verbo poterit probare, qui comitiorum tributorum admonuerit. Verum tamen illud parum credibile videtur, quod Goettl. opinatur, etiam vocatione jam antiquissimo tempore tribunos pl. usos esse Certe in istis verbis, quae G. ex Dionysio (VII, 17: — *καλούμενος εἰς ἀπολογίαν ὑπὸ τοῦ δήμου*) profert, nullam inesse sentio vim persuadendi, nisi forte quis demonstrabit mihi, *καλεῖσθαι ὑπὸ τοῦ δήμου* nihil aliud esse, quam *καλεῖσθαι ὑφ᾽ ἑνὸς τῶν δημάρχων πρὸς τοὺς δίφρους.* Etsi enim *τοὺς δημάρχους* eos fuisse constat, qui in concionem et vocarent et producerent: tamen illa vocatio, quam Antistius Labeo tribunis pl. abjudicavit, ad concionem, in qua populus ipse jus dicebat, proprie nihil pertinebat, sed vocati ad subsellia tantum tribunorum ducebantur, idque simili semper ratione, atque in causa Antistii Labeonis a Gellio narratum est: Mulier, quam A. Labeo injuria affecerat, tribunos pl. adit; tribuni, muliere audita, viatorem ad A. Labeonem mittunt, ut veniat et mulieri respondeat. Dehinc, si A. Labeo ad subsellia tribunorum ivisset et mulieri respondisset, verisimillimum est tribunos plebis, populo in concionem non vocato, controversiam pro sua potestate dijudicaturos fuisse. — Aliter res se habebat, si quem tribuni plebis, in causa graviori, non ad se, non ad subsellia, sed in concionem populi vocari jusserant. Tum enim, qui vocationi non paruisset, is non tribunorum plebis, sed populi judicium fugisset: quod neminem impune facere pro certo habebatur. Quemadmodum autem jam antiquitus (cf. Liv. IV, 44) legibus sancitum erat, ut magistratus neque ordinarii, neque extraordinarii in judicium populi ne vocarentur: ita hoc in more positum fuisse videtur, ut tribunis pl. ad subsellia vocantibus nemo, nisi privatus, obedire cogeretur; et ut, si tamen magistratus quispiam a tribuno pl. vocatus et, metu invidiae, ad obsequendum paratus esset, tum plerumque a subselliis in concionem populi, quippe quae auctoritati magistratus magis conveniret, res deferretur. Inde fortasse videmus, quae res M. Varronem a tribunis defenderit, quum in triumviratu eorum vocationi non paruisset; in hoc deinde causam inveniri putaverim, cur Varro jus vocandi ad subsellia non accuratius distinxerit a jure vocandi in concionem populi, sed universe tantum cum indignatione quadam scripserit, a quibusdam tribunis pl. *non modo privatum, sed etiam consules in rostra vocari* jussos esse; hoc denique illud explicatur, quod apud Livium XLII, 33 legimus, ad subsellia tribunorum consulem postulasse, ut res, de qua centuriones tribunos appellaverant, in concione ageretur. —.

*) Liv. XXXVI, 3: *coloni maritimi, quum cogerentur in classem, tribunos plebei appellarunt: ab iis ad senatum rejecti sunt.* — Eandem moderationem tribuni servant Liv. XXVII, 8, XL, 29. Sed XLII, 32 de re ad consules rejicienda inter se non conveniunt.

siquidem leges optionem cuique dabant injuriae ipsi illatae vindices, quos vellet, eligendi, sive praetores, sive tribunos plebis. Sed puto usitatius fuisse, ut vel injuriarum actiones apud praetores intenderentur, quam ut ad subsellia tribunorum: quod praetores magis e legibus et edictis suis jus dicebant, et quod, si quis in praetoris decreto nollet acquiescere, tum in tribunicium auxilium confugere ei licebat. Quam ob rem illa tribunorum intercessio, quae adversus decreta praetoria fiebat, et quam brevitatis causa judicialem intercessionem vocabimus, majoris momenti et digna esse videtur, a qua ceterae causae, in quibus judicialis sententia non antecesserat, secernantur. Rubino quidem (de tribun. post. p. 25—30) multus est in hac judiciali intercessione explicanda; sed locis primariis, quos sententiae suae probandae causa affert, ne uno quidem verbo decreti praetorii, cui tribunos pl. intercessisse dicit, mentio fit. Citat enim ille, ut duo exempla proponam, verba Ateji Capitonis ap. Gell. XIII, 12: *Quum a muliere quadam tribuni pl. adversus eum* (Labeonem) *aditi Gellianum ad eum misissent, ut veniret et mulieri responderet: jussit eum, qui missus erat, redire et tribunis dicere* — cet. —, ubi mihi quidem solis luce clarius esse videtur, tribunos pl. non, ut judiciali sententiae intercederent, sed auxilii simpliciter ferendi causa aditos esse. Deinde ex Liv. XLII, 32 affert haec: — *Quum tribuni militum centuriones, sed primum quemque, citarent, tres et viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos plebis appellarunt. Duo ex collegio — ad consules rejiciebant: Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibusque bellum mandatum esset. Ceteri, cognituros se, de quo appellati essent, ajebant; et, si injuria fieret, auxilium civibus laturos.* Neque huic loco decretum praetoris, de quo centuriones ne cogitaverint quidem, immisceri posse, jam primo adspectu videmus; atque hoc idem dicendum est de plerisque locis *), ita, ut omnia, quae Rubino de judiciali intercessione disputavit, vacillent et claudicent, totamque quaestionem perturbent magis, quam illustrent. Sed ne malevoli reprehensoris vel accusatoris personam gerere videar, dicam, quae sentio.

1) In omni tribunorum pl. appellatione, sive adversus magistratus, sive adversus privatos, eaedem juris formulae observabantur. Tribuni in consilium abibant (ad deliberandum secedebant), et, quod cognita causa majori parti placuisset, id decreti nomine insignitum in tabula plerumque perscribebant **) unique ex collegio pronuntiandum dabant ***). Horum decretorum duplex potissimum genus erat, prout tribuni, cognita causa, aut intercedebant, aut non intercedebant. Si prius factum erat, h. e. si tribuni promiserant, se ei, a quo appellati erant, auxilio futuros, ne injuriam pateretur: tum, quoniam una intercessio excludebat alteram, neque a dissentiente aliquo tribuno, neque ab alio homine quidquam contra dici

---

*) Rubin. p. 26. not. 2.

**) *Plerumque* dico, nam in omnibus vel levissimis causis factum id esse, nihildum me induxit, ut crederem. Quamquam res dijudicari nequit, quia in paucis illis locis, ubi scriptum decretum tribunicium commemoratur, de re graviori agitur. Liv. XXXVIII, 52, Gell VII, 19. In judiciali appellatione, quae per se gravissima erat, morem istum semper observatum esse veri similius est. cf. Ascon. in Cic. Milon. pag. 47 ed. Orelli.

***) Cic in Verr. II, 2, 41. Liv. XXXVIII, 60.

poterat, sed res transacta credebatur. Sin autem pronuntiatum erat, tribunos non esse auxilio, neque impedituros, quo minus controversia legibus subjiceretur: tum primum referebat, utrum de omnium tribunorum sententia hoc pronuntiatum esset (Valer. Max. VI, 1, 10), an vero unus vel plures ex collegio aliter censuissent; et deinde, utrum ii, qui dissentiebant, tribuni rem silentio praeterire, an adversus collegas suum jus exsequi vellent. Nam quia in tali causa intercessio nulladum facta erat, licebat ei tribuno, qui a collegis dissidebat — etenim unus adversus omnes satis erat —, se ipsum interponere illudque auxilium, quod collegae recusassent, pro sua unius potestate praebere. Etiam hujus unius tribuni sententiae pronuntiatae nomen decreti imponebatur. —

Decreta tribunicia causas rationesque, quas in intercedendo tribuni secuti erant, continebant, eorumque multa in annalium monumenta referebantur, imprimis ea, ut videtur, quae in judiciali appellatione facta erant *). Accidisse quoque, ut patroni atque advocati ad subsellia tribunorum venirent, qui litigantes re et consilio adjuvarent, cum per se credibile est, tum Ciceronis et Livii testimoniis comprobatur **).

Totam hanc intercedendi et auxilii cum ferendi, tum recusandi rationem, qualem paucis equidem hoc loco adumbravi, quamque ipsius rei natura praescriptam fuisse opinor, adeo cum veritate congruere putaverim, ut vix metuam, ne possit multum impugnari. Sed ut ea, quae breviter dicere debui, clariora et probatiora fiant, operae pretium esse videtur, ex ista historia, quam de P. et L. Scipionum accusatione Livius aliique scriptores contexuerunt, duo intercessionis tribuniciae exempla proponere. Nemo mihi objiciet, de horum Romanorum accusatione nec Livium, neque aequales ejus, neque posterioris aetatis scriptores certi et indubitati quidquam habuisse. Id enim satis est, quod constat, ex iis, quae Livius aliique tradiderunt, posse intelligi, quid in appellatione usitatum fuerit, quid jure, quid more majorum tribuni pl. fecerint ***). Sequar igitur Liv. lib. XXXVIII, cap. 55—60. L. Scipio Asiaticus peculatus crimine (ob pecuniam a rege Antiocho captam) apud Q. Terentium Culleonem accusatur damnaturque. Praetor deinde, postquam praedes eum poposcit, Scipio vero praedes dare recusavit, quod omnem, quam accepisset, pecuniam in aerarium retulisset, contendit, se, ni referatur pecunia in

---

*) Gell. VII, 19. Ascon. l. c. Omnino non est veri simile, omnia decreta tribunicia in actis publicis consignata esse; imo vero haud scio an nullum decretum tribunicium jussu senatus populique Romani publice conservatum sit. Tribunis plebis, ut videtur, permissum erat, ut, quae in magistratu egissent, in tabulis perscriberent illasque in foro publice collocarent. Unde factum est, ut non modo ea, quae de omnium tribunorum sententia pronuntiata essent, sed singulorum quoque tribunorum decreta in actis publicis reperirentur. Cf. quae Plut. de Clodii tabulis narrat, in vit. Cat. min. 40.

**) Cic. in Verr. II, 2, 41. Liv. XLII, 33. Saepius forte evenisse videtur, ut, qui amicum ad tribunorum subsellia vocatum comitaretur, priusquam tribuni ad deliberandum secederent, verba pro eo faceret. Liv. XXXVIII, 58 narrat P. Scipionem Nasicam, quum pro L. Scipione tribunos appellasset, orationem habuisse „*plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliae gentis, sed proprie familiae suae.*"

***) Quaestionem ab Heerwagen conscriptam: *De P. et L. Scipionum accusatione*, et communicatam in: Schulprogr. von Baireuth, 1836, frustra adhuc desideravi, quod non mediocriter doleo.

publicum, quae judicata sit, nihil habere, quod faciat, nisi ut prehendi damnatum, et in vincula duci jubeat. Hoc dicto, L. Scipionem in carcerem duci jubet. Tum vero P. Scipio Nasica tribunos pl. appellat. Tribuni pl. in consilium secedunt; paulo post C. Fannius ex sua collegarumque aliorum, praeter Ti. Gracchum, sententia pronuntiat: *praetori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate utatur.* Contra hanc collegarum sententiam Ti. Gracchus ita decernit: *Quo minus ex bonis L. Scipionis, quod judicatum sit, redigatur, se non intercedere praetori. L. Scipionem vero — non passurum inter hostes populi Romani in carcere et in vinculis esse, mittique eum se jubere.* Hoc decreto L. Scipio, quum intercessio esset potentior *), a vi prohibitus est.

Haec Livium ex Valerii Antiatis historiis potissimum hausisse, cujus auctoritatem in antecedentibus bis (cap. 50. 55.) allegaverit, persuasissimum mihi fuit, quum Gellii de fide Valerii Antiatis judicium (N. A. VII, 19 extr.) legissem. Sed ad Livii narrationem proxime accedunt Cic. de prov. cons. 8. et Valer. Maxim. IV, 1, 8. Gellius in eo a ceteris discrepat, quod narrat, vivo P. Scipione Africano, L. Scipioni a C. Minucio Augurino tribuno pl. multam irrogatam esse, appellatisque a P. Scipione fratre tribunis plebis, non solum T. Gracchum, sed etiam C. Minucium Augurinum a consilio collegarum abstinuisse, illum, ut suum unius decretum interponeret, hunc, quod accusator esset. De ceteris Gellius congruit.

Altera, quam memoratu dignam habeo, causa P. Scipionis Africani est, descripta a Livio eodem libro cap. 50—52. Huic Scipioni duo Petillii tribuni pl. diem dixerant. Sed P. Scipio, *die longiore prodicta, in Laterninum concessit; certo consilio, ne ad causam dicendam adesset. Post, ubi dies venit, citarique absens est coeptus, L. Scipio morbum causae esse, cur abesset, excusabat. Quam excusationem quum tribuni, qui diem dixerant, non acciperent,* sed mittendos esse censuissent, qui P. Scipionem prehenderent et, ad causam dicendam, Romam reducerent; tribuni plebis, adpellati a L. Scipione, ita decreverunt: *Si morbi causa excusaretur, sibi placere, accipi eam causam, diemque a collegis prodici.* — Ti. Gracchus vero, tribunus pl., *quum vetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi, tristioremque omnes sententiam exspectarent,* ita decrevit: *Quum L. Scipio excuset morbum esse causae fratri, satis id sibi videri. Se P. Scipionem, priusquam Romam redisset, accusari non passurum. tum quoque, si se adpellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat.* —

Quod in hac causa Ti. Gracchus, adjecto suo decreto, intercessionem collegarum fortiorem et efficaciorem reddidit, perinde ac si id, quod collegae decreverant, non satis esse duxisset ad deterrendos acerbos atque iniquos accusatores: in hoc nemo, opinor, quidquam offendet. Quod vero Livius in ista sua narratione adje-

---

*) Intercessionem vel unius tribuni in qualibet causa potentiorem fuisse eique omnes cedere coactos esse, praeter scriptores Romanos (cf. Liv. VI, 38) etiam Graeci testantur. Plut. vit. Tib. Gracch. 10: — *ἔστι δε τοῦ κωλύοντος ἐν τοῖς δημάρχοις τὸ κράτος· οὐδὲν γὰρ οἱ πολλοὶ κελεύοντες περαίνουσιν, ἑνὸς ἐνισταμένου.* — Et in vit. Cat. min. 20 extr.: *Τὸ γὰρ ἰσχυρὸν ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ κωλύειν ἔχει μᾶλλον, ἢ πρὸς τὸ πράττειν· κἂν πάντες οἱ λοιποὶ παρ᾽ ἕνα ψηφίσωνται, τοῦ μὴ θέλοντος μηδ᾽ ἐῶντος τὸ κράτος ἐστίν.* — Dionys. Halic. X, 31 med.: — *οὐδὲν γὰρ τῶν πραττομένων ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης ἐπισχεῖν ἢ κωλῦσαι τῶν ἄλλων τινὶ ἔξεστιν, ἀλλ᾽ ἑτέρου δημάρχου τοῦτό ἐστι τὸ κράτος.*

cit, quum Ti. Gracchus a collegis secessisset, tristiorem sententiam exspectatam esse: hoc multis sane mirum videbitur. Tristior enim sententia haud dubie fuisset, si Ti. Gracchus decrevisset, se non intercedere, quo minus Petillii collegae sua potestate uterentur, et P. Scipionem Romam reduci juberent. At tali sententiae, recte dixerit aliquis, nihil amplius loci dari potuit, quoniam ceteri tribuni, facta intercessione, paulo ante pronuntiaverant, se P. Scipioni auxilio futuros. Itaque Ti. Gracchus, etiamsi tristissimam contra P. Scipionem sententiam dixisset, nequaquam tamen pervicisset, ut P. Scipioni vis adferretur, nisi omnes fere, qui in concione aderant, cives cum Ti. Graccho conjurassent et tribuniciam potestatem victam voluissent. Quod periculum licet in aliis pluribus causis ab irato vel instigato populo tribuniciae potestati creatum esset, in P. Scipionis causa longissime tamen aberat. Nam, si quisquam, P. Scipio Africanus major civibus Romanis carus erat; quod ex inimicis ejus nemo unquam acerbius tulerat, quam iidem isti Pillii, quum ante aliquod tempus P. Scipio a rostris, quo ad causam dicendam vocatus erat, in Capitolium ascendisset, totaque concio tanquam triumphantem eum secuta esset: adeo, ut tribuni (qui diem dixerant) apud populum sine populo agerent (Valer. Max. III, 7, 1.). Sed, ne longus sim, quid tandem Livius voluit intelligi, quum cives Romanos omnes tristiorem sententiam a Ti. Graccho exspectasse scriberet? Equidem puto, Livium nihil aliud dicere voluisse, nisi hoc: Cum inveteratum Ti. Gracchi odium in Scipiones notissimum esset, omnes cives metuebant, ne Gracchus non aliter, nisi acerbe ac triste de P. Scipione decreturus esset; metuebant, inquam, non quo putarent, tristiorem tribuni sententiam, invito populo, Scipioni periculosam fore, sed quia ne audire quidem voluerunt, quod periculi simile sonaret.

2) Repudiatis iis, quae Rubino miro quodam errore attulit, pauca tantum exempla superesse video, quibus probari possit, tribunos pl. decretis praetoriis intercessisse. Hinc puto rarum fuisse, ut in causis privatis tribuni pl. adversus praetorem alterum utrum appellarentur. Sigonius (de judic. I, 26) de hac tribunorum appellatione tanquam de re nova et, si non plane inaudita, tamen inusitata loquitur. *Invenio etiam*, inquit, *eum, unde petebatur, dante praetore actori judicium, tribunos pl. appellasse, et judicium recusasse.* Affert idem duo exempla, quorum prius sumtum est ex commentario Asconii in Cic. orat. in tog. cand. p. 84 ed. Orell. Asconii verba sunt haec: C. *Antonius multos in Achaja spoliaverat. Deinde Graeci, qui spoliati erant, eduxerunt eum in jus ad M. Lucullum praetorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Egit pro Graecis adolescentulus* (C. Jul. Caesar), *et quum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius juravitque, se id ejurare, quod aequo jure uti non posset.* — Quid causae fuerit, cur Antonius negaret se Romae judicio aequo cum Graecis posse certare, Asconius non dicit; sed adjicit, sexennio post Antonium a Gellio et Lentulo censoribus senatu motum esse, *quod socios diripuisset, quod judicium recusasset, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia mancipasset, bonaque sua in potestate non haberet.* Atque hinc Sigonio colligendum videtur, Antonio non licuisse tribunos pl. appellare, et judicium recusare. In quo ut a Sigonio dissentiam, plures me causae adducunt. Primum enim aliquid ponderis habet, quod exploratum est, tribunos pl. non dubitasse

C. Antonio auxilio esse: quamquam jam video futuros, qui hoc pro nihilo habendum censeant, quoniam nullo tempore difficile fuerit, inter decem tribunos pl. unum invenire, qui vel in injusta re intercederet, et illa ipsa, quam supra exposuimus, ratione collegas ad intercedendum minime inclinatos superaret. His respondendum erit, non ita multum interesse, utrum in causa Antonii unus an plures tribuni intercesserint, dummodo constet, intercessionem tribuniciam adversarios Antonii ita accepisse, ut ne postea quidem judicium renovarint. — Deinde autem memoria repetendum, in republica Romana hoc comparatum fuisse, ut censores eorum, quae ex communi consensu egissent, nemini rationem redderent, ideoque, qualicunque causa in tabulis subscripta, hunc illumve senatorem, qui displicuisset, senatu ejicerent. Hac de causa non audeo confirmare, Gellium et Lentulum censores re vera curasse et quaesivisse, utrum jure, an secus, Antonius tribunos appellasset; sed, quum compertum sit, per sex annos neminem exstitisse, qui C. Antonium denuo accusaret, equidem, si nihil aliud haberem, quod dicerem, in hac probabiliori conjectura permanerem, illos censores magis odio privato, quam reipublicae causa Antonium persecutos esse. Accedit vero, quod censores, quum Antonium senatu moverunt, non istam unam causam, quod judicium recusasset, subscripserunt; sed complures alias causas, easque tam graves addiderunt, ut earum una quaeque per se satis esset ad ignominiam, qua Antonium notabant, probandam, illa vero, quam secundo loco subscriptam esse Antonius dicit, plane supervacanea videretur.

Denique, si Sigonius de causa Antonii recte judicavit, vide ne id, quod propter appellationem tribunorum Antonio objectum esse creditur, in iis omnibus, qui a praetore tribunos pl. appellaverant, reprehendi potuerit: non quod umquam cautum fuerit, ne quis in causa judiciali a tribunis pl. auxilium peteret; sed quia, jure appellandi certo ac libero, nemo tamen appellare poterat, quin aliquam invidiam subiret. Nam qui a praetore tribunos appellabat, is injuriam aliquam, quam vel in litis contestatione, vel in comperendinatione, vel in datione judicis, vel in satisdatione, vel in qualibet alia actionis parte sibi illatam aut intentatam saltem putabat, a se propulsari volebat. Si haec injuria re vera facta et tam manifesta erat, ut in dubium vocari non posset, et a tribunis necessario propulsaretur: tum praetori ac judicibus metuendum erat, ne ipsi postea aliquando in judicium vocarentur; et propterea nihil sane probabilius, quam eos ipsos, qui in culpa essent, plurimum clamasse et tam appellationem, quam intercessionem aegerrime tulisse. Sin autem injuria, quae litiganti cuidam facta esse dicebatur, vel studiose cupideque quaesita, vel ficta tantum improbeque simulata erat; tum indignabundos judices quid magis exacerbare debebat, quam tribunorum intercessio? Aut quis apud justiores cives majore in odio esse poterat, quam is, qui auctoritati judicum dedita opera obtrectasset? Medium erat, si de ejusmodi injuria agebatur, ut, verane, an ficta esset, difficile esset ad judicandum. In tali causa facile poterat fieri, ut is, qui ad tribunos confugerat, vehementer vituperaretur, quamvis penitus injuria laesus esset. Atque quamquam a nostro conspectu Romani jam longius recesserunt, quam ut publicas, nedum privatas causas eorum plane perspicere et cognoscere possimus; tamen, quum non solum in edictis praetoriis, sed etiam in ipsis legibus

multa partim dubia et imperfecta, partim etiam absurda essent, partim denique, ut hodieque fit, ad arbitrium paucorum huc illuc torquerentur, a fide non abhorret, in plerisque causis, ubi tribuni pl. appellati sint, injuriam parum certam ac definitam, diversisque interpretationibus obnoxiam fuisse: adeo, ut alii tribunos jure appellatos, alii per eorum appellationem jus violatum esse contenderent. Haec mea sententia mire quidem probatur eo appellationis exemplo, quod in Ciceronis oratione pro Quintio invenitur. Ex pluribus enim hujus orationis capitibus apparet, homines, quos juris peritissimos crederes, in re, quae nobis quidem certissima esse videatur, incertos fuisse, quid de appellatione tribunorum dicerent. Litem, de qua dico, et quam Sex. Naevius quidam P. Quintio intendit, nuper dilucide exposuit Drumannus III, p. 82—84; quapropter mihi licebit breviori esse et pauca tantum Ciceronis verba interpretari, unde, de qua re potissimum agatur, eluceat. Legimus autem cap. 20, inter Ciceronem, qui P. Quintium defendebat, et Hortensium, qui pro Sex. Naevio causam agebat, hancce altercationem fuisse:

— *Recusabat Alphenus* (satisdare).
*Ita: verum praetor decernebat.*
*Tribuni igitur appellabantur.*
*Hic te teneo. non est istud judicium pati, neque judicio defendere, quum auxilium a tribunis petas* cet.

His auditis, quis non mirabitur, se nescire, utri assentiendum sit, Ciceroni, qui firmissime asseveret, Alphenum, procuratorem Quintii, suo jure a tribunis pl. auxilium petiisse, an Hortensio, neganti *eum defendi, cujus procurator a praetore tribunos appellare ausus sit?* Dicam igitur, quomodo res se habuisse mihi videatur. Alphenus, Quintii procurator, qui a Mario steterat, et cuius bona Sulla posthac vendidit (cap. 24), non ignorabat, Burrienum praetorem, hominem Sullanarum partium, Sex. Naevio plus aequo favere. Itaque, quum Burrienus, absente P. Quintio, ex edicto suo decrevisset, ut Sex. Naevio bona ejus possidere liceret; Alphenus eo minus destitit demonstrare, isto praetoris edicto P. Quintium non teneri, quod Sex. Naevio nihil deberet, et quod in edicto scriptum esset: *Qui fraudationis causa latitarit, cui heres non exstabit, qui exsilii causa solum verterit*, ejus demum bona possidere petitori licebit —; quae omnia quoniam in P. Quintium non caderent, aequum esse, adventum Quintii exspectari. Verum Alphenus frustra laboravit. Postulavit enim Burrienus, ut procurator decreto suo pareret, judicatum solvi satisdaret, in jus veniret. Tum vero, quia Alphenus persuasum habebat, praetorem injuriam decrevisse (cap. 21), et rursus periculosum videbatur, si, omissa defensione, negaret par sibi jus cum Sex. Naevio esse: id unum restabat, ut tribuni pl. appellarentur. Dixit igitur Alphenus, *vadimonium se promittere, judicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusare; ita tamen, more et instituto, per eum magistratum, qui auxilii causa constitutus esset* (cap. 20). Quo dicto, praetor succensebat, petitor irascebatur, Sullani stomachabantur: sed nemo, quominus a tribunis auxilium peteretur, impedire poterat.

Quid autem tribuni plebis decreverunt, quum, ab Alpheno appellati, quasi summam in hoc judicio auctoritatem nacti essent? Hoc mihi quaerenti ipsi Ciceronis adversarii respondent (cap. 20): *At enim tribuni plebis* (Alphenum) *ne audie-*

*runt quidem*; quibus Cicero, *Fateor*, inquit, *si ita est*, *procuratorem decreto praetoris oportuisse parere.* — Verum est, neque ita fuisse, neque multo aliter. Nam tribunos pl. non ita, ut exspectatum fuerit, decrevisse, patet ex cap. 7, in quo Cicero ait: — *a tribunis plebis quum esset certum auxilium petitum*, *ita tum disceditur*, *ut Idibus Septembribus P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret.* Neque ad intelligendum difficile, quid, de Ciceronis sententia, vox illa „*certum auxilium*" significaverit. Alphenus enim haud dubie speravit, fore, ut tribuni pl. decernerent, sibi non videri bona P. Quintii ex edicto praetoris possessa, sed potius per vim erepta esse; propterea se intercedere, ne procurator satisdaret. — Sed difficilius est dicere, quibus de causis tam certum auxilium ferre tribuni plebis noluerint; utrum metu studiove Sullanae factionis impulsi sint, ut P. Quintio adversarentur, an injuriam, de qua Alphenus questus erat, non ita magnam, neque dignam gravi intercessione esse invenerint. Nam quanta Ciceroni in iis, quae pro Quintio peroravit, fides habenda sit, tum demum certo sciremus, si et Hortensii oratio exstaret et altera quoque pars audiri posset. Ne M. Brutus quidem, Alpheni familiaris, graviter intercedere ausus est; sed nihil aliud fecit, nisi ut palam diceret, *se intercessurum*, *nisi quid inter Alphenum et Naevium conveniret.* Quod ipsum quamquam pro auxilio haberi necesse erat, quia judicio mora allata est, dum Idib. Septembribus Quintius se sisteret: tamen postea, Sulla Romae dominante, et calumniante Sex. Naevio, fructuosum esse P. Quintio non potuit. —

His duobus intercessionis tribuniciae exemplis, de quibus fusius dicendum videbatur, non videtur adjungi posse illud, quod est in comment. Asconii in Cic. Milon. 14 (p. 47 ed. Orell.), propterea, quod, si recte video, tribuni pl. in causa publica appellati sunt. Historiam ejus temporis, in quod ista appellatio incidit, satis exploratam habemus: est enim historia anni 58 a. Ch., quo P. Clodius tribunus plebis fuit (cf. Drumann. II, 277—278). Pompejo inimicitiae cum P. Clodio intercesserant: hinc, quum III. Idus Sextiles Pompejo in senatum eunti servus Clodii obviam factus esset, cui sica forte excidit, rumor serpebat, servum istum a Clodio jussum esse Pompejo insidiari. „Pompejus", ait Asconius, „statim domum rediit et se domi tenuit. Obsessus est etiam a liberto Clodii Damione, ut ex actis ejus (anni) cognovi, in quibus XV. Cal. Septembris L. Novius, tribunus plebis, collega Clodii, cum Damio adversum Flavium praetorem appellaret tribunos, et tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: *Et hoc apparitore P. Clodii vulneratus sum*, *et hominibus armatis praesidiis dispositis a re publica remotus sum*; *Cn. Pompejus obsessus est. Quum appeller*, *non utar ejus exemplo*, *quem vitupero*, *et judicium tollam*: et reliqua de intercessione."

Si ex actis publicis igitur, in quibus de intercessione tribunorum pl. scriptum erat, Asconius cognovit, a Damione Pompejum obsessum esse, hoc argumento esse videtur, Damionem ob id ipsum, quod Pompejum obsedisset, et quod eos, qui, velut Novius tribunus plebis, ad liberandum Pompejum accesserant, fugavisset, de vi publica postulatum fuisse. Sed sive publica, sive privata causa fuit, in qua de Damione Flavius praetor decreverat; Damio eo minus dubitavit a tribunis auxilium petere, quod praevidit, P. Clodium, cujus libertus erat, quocum consiliorum ac facinorum similitudo eum conjunxerat, ex quo totus denique pendebat, in-

tercessurum esse. Neque Clodius ei defuit: quod colligitur ex verbis Novii: *non utar ejus exemplo*, *quem vitupero*, *et judicium tollam*, quibus verbis P. Clodium significatum esse apertum est.

Ceterum hoc quoque exemplo ea comprobantur, quae de appellatione et intercessione in universum dixi (supra pag. 12). Tribuni enim, appellati a Damione, ad causam cognoscendam secedunt; deinde Clodius — solusne, an ab aliquot collegis adjutus, incertum — pollicendo, se intercessurum, judicium in praesens tollit; Novius vero, a. P. Clodio dissidens, tametsi suam sententiam interposuit, tamen nihil assecutus videtur, nisi forte ut sibimet ipsi constaret iisque, qui secum facerent, satisfaceret. Neque tamen non est verisimile, eodem modo, quo Novium, multos etiam alios tribunos, qui ab intercedentibus collegis victi essent, sententiae suae firmitatem fortius declarare constantisque animi documentum dare conatos esse: quum, si prorsus tacerent, periculum esset, ne pro viris timidis, et in quibus parum fiduciae collocari posset, haberentur. Unde fit, ut talia decreta tribunicia, vana illa quidem et irrita, sed tamen, si auctoribus ita placuisset, in actis publicis conservata, similitudinem quandam habeant cum auctoritate, quae dicebatur, senatus. Namque, ut supra p. 6 dixi, etiam senatus tum, quum ob intercessionem tribunorum legitimum senatusconsultum fieri non poterat, sententias saltem, quae dictae essent, perscribi jubebat, ne de voluntate senatorum dubitari posset. —

---

His absolutis, restat, ut de appellatione tribunorum in judiciis publicis, de edictis tribuniciis, de intercessione tribunorum adversus collegas cum populo agentes cet. disputetur. Sed quum certi mihi scribendi fines constituti sint, extra quos nunc quidem egredi non liceat; has et complures alias ejusdem generis quaestiones alio tempore ad tractandum mihi proponam.

**C. L. Bender.**

## *Corrigenda.*

Pag. 1. v. 18. lege: ut — pro commodis plebis excubarent, pro: — excitarent.
„ 1. „ 20. „ in monte sacro, pro: — sacra.
„ 6. „ 5. „ aliane ratione potuisse fieri —? pro: — potuisset.

# Schul-Nachrichten.

## Erster Abschnitt.

### Allgemeine Lehrverfassung von Ostern 1841 bis dahin 1842.

#### A. Religionslehre.

1. Prima. Comparative Behandlung der Hauptlehren der christlichen Confessionen. Lesung der Apostelgeschichte mit Andeutungen über die älteste Geschichte der christlichen Kirche.

2. Sekunda. Christliche Sittenlehre. Lesung der betreffenden Stellen des N. T. und darauf Bezug habende Predigten. Lesung des Hebraeerbriefs und Entwickelung der Lehre von der Erlösung durch Christus.

3. Tertia. Die Lehre vom Wesen Gottes. Lesen auserwählter Psalmen, Lernen geistlicher Lieder. Geschichte des Lebens Jesu. Besprechung einzeler Parabeln von Krummacher.

4. Quarta. Auswendiglernen der drei ersten Hauptstücke des Luther. Katechismus, der bibl. Bücher und entsprechender Liederverse und Bibelsprüche. Katechisationen über das erste Hauptstück, den ersten und zweiten Artikel und das dritte Hauptstück. Geschichte der jüdischen Religion im Auszuge; Lesung und Besprechung der Apostelgeschichte bis cap. 18.

5. Quinta. Biblische Geschichte des N. T. nach Preuss; die Gleichnissreden Jesu zum Theil gelernt. Besprechung der ersten drei Hauptstücke des Luth. Katechismus; Auswendiglernen dahin gehöriger Bibelsprüche.

6. Sexta. Biblische Geschichte des A. T. nach Preuss. Auswendiglernen des ersten Hauptstücks und entsprechender Liederverse und Bibelsprüche.

#### B. Sprachen.

##### I. Lateinische Sprache.

1. Prima. Lesung von Cic. in Verr. act. II. l. IV. de signis; und l. V. de suppliciis bis c. 10. Cic. de Finn. ll. I. II. Sprechübungen. Extemporalia. Wöchentlich ein Exercitium, alle fünf Wochen ein freier Aufsatz corrigirt und besprochen. — Privatim wurde die Rede de suppliciis und mehre Stellen aus Cic. de Off. und Livius gelesen. — Horat. Odd. l. I. II. Epp. II, 1. — Metrische Uebungen.

2. Secunda. Cicer. or. pro Murena, pro lege Manilia, pro Archia poëta; cursorisch: Liv. hist. l. XXI. Wöchentlich eine Stelle aus Cicero auswendig gelernt, 1 Exercitium und Extemporalia; vierteljährig 1 freier Aufsatz. Syntax der L. Spr. nach Zumpt; Wiederholung der schwierigeren Partieen aus der Etymologie. — Privatlectüre: Sallustii bell. Jugurth. — Virgil. Georg. l. III. IV. und Aeneid. l. I. — Metrische Uebungen.

3. Tertia. Caesar. bell. civ. l. II. bis l. III, c. 112. b. Gall. l. IV—VII. (letzteres z. Th. privatim). Syntax nach Ellendt's und Billroth's Lat. Gramm., Extemporr., Corr. eines wöchentl. Exercit., Memoriren einzelner Capitel aus Caes. b. Gall. — Ovid. Metam. l. I. bis lib. V, nach dem Auszuge von Seidel. — Prosodische Uebungen.

4. Quarta. Cornel. Nep. vitae mit Auswahl. — Einleitung in die poëtische Lectüre; prosodische Uebungen. — Grammatik. Syntax nach Ellendt's Schulgr. §. 125 bis §. 180; Wiederholung der schwierigeren Theile der Etymologie. — Wöchentliche Exercitia, die vom Lehrer durchgesehen wurden.

5. Quinta. Uebersetzung von Ellendt's Lat. Lesebuche Curs. II, Abschn. 1. 2 und 3 bis St. 70. Wiederholung der Etymologie nach Ellendt's Lat. Gramm.; Besprechung und Auswendiglernen des Wichtigsten aus der synt. casuum, der Lehre vom acc. c. inf. und der sogen. ablat. absol. Auswendiglernen von Vocabeln und einzeler Sätze und Stücke aus dem Latein. Lesebuche. Ein wöchentl. Exercitium.

6. Sexta. Uebersetzung der ersten 50 Stücke aus dem ersten Cursus von Ellendt's Lat. Lesebuche. Erlernung der Declinationen, der regelmässigen, und der meisten unregelmässigen Coniugationen. Mündliche und schriftl. Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in's Lateinische. Auswendiglernen der ersten 20 Stücke aus dem Lesebuche.

## II. Griechische Sprache.

1. Prima. Lycurgi orat. in Leocratem, nach vorangeschickter Einleitung über das Leben und die staatsmännische Wirksamkeit Lycurg's, und mit Andeutung der Hauptpunkte aus der Gesch. der Griech. Beredtsamkeit. — Platonis Gorgias. — Sophocl. Electra und Oedipus Rex. Homeri Il. l. VII—XIII. (z. Th. privatim). — Monatlich abwechselnd ein Exercitium und prosaische oder metrische Uebersetzungen. Extemporalia mit Rücksicht auf schwierigere syntact. Regeln. — Metrische Uebungen.

2. Secunda. Plutarchi vit. Phocionis und Cat. min. Homeri Odyss. l. XXI. bis XXIV. und l. I—VIII. (z. Th. privatim). Repetition der Formenlehre. — Wöchentliche Exercitia und Extemporalia zur Einübung der wichtigeren Regeln aus der syntaxis modd. et tpp. (nach Halm).

3. Tertia. Xenoph. Anab. l. VII. und l. I. II. Einleitung in die Lectüre Homer's. Gründliche Erlernung der Griech. Formenlehre nach Buttmann. Correctur wöchentl. Exercc. zur Einübung der Regeln aus der synt. casuum.

4. Quarta. Formenlehre der Griech. Sprache bis zu den verbb. auf $\mu\iota$ incl. Aus Jacobs' Lesebuche wurde der erste Cursus grossentheils, von dem zweiten Cursus ausgewählte Stücke gelesen. — Kleine Exercitia zur Wiederholung und Befestigung der gelernten Declinations- und Coniugationsformen.

### III. Hebräische Sprache.

1. Prima. 2. Sam. I—XX. Psalmen von Ps. XLII. bis LXXVIII, mit Auslassung einiger zu schwieriger. — Mündl. und schriftl. Uebungen im Analysiren.

2. Secunda. Formenlehre nach Gesenius Grammatik. Uebersetzung von Gesenius Leseb. S. 14 bis S. 39.

### IV. Deutsche Sprache.

1. Prima. Geschichte der romantischen Schule; über die Entwickelung der dramatischen Poesie. Leben und schriftstell. Thätigkeit Wielands. Erklärung einiger Stücke aus Rupp's Mustersammlung. Abhandlungen und Uebungen im freien Vortrage; erstere wurden vom Lehrer zu Hause corrigirt und in der Schule recensirt.

2. Secunda. Ausführliche Geschichte des Hainbundes. Repetition der lyrischen Literatur der Deutschen. — Erklärung ausgewählter Gedichte von Klopstock, Voss, Bürger, eines Theils des Geistersehers und der Künstler von Schiller; Lesung der Schillerschen Recension über Bürger. — Aufsätze, metrische Uebungen.

3. Tertia. Vorbereitung und Beurtheilung der monatlichen Aufsätze. Uebungen im mündlichen Vortrage. — Lehre von der Wortstellung, Interpunctionslehre: Lehre vom zusammengez. und verkürzten Satze. — Metrische Uebungen.

4. Quarta. Lehre vom zusammengesetzten Satze (nach Moennich C. II.). Declamirübungen, mit Benutzung von Lehmann's D. Lesebuche Th. II. Alle 14 Tage ein kleiner Aufsatz, der vom Lehrer verbessert wurde.

5. Quinta. Wortlehre. Lehre vom einfachen Satze und seinen Bekleidungen (nach Moennich C. I.). Uebungen im schriftl. und mündl. Nacherzählen; orthographische Uebungen. Lese- und Declamationsübungen nach Lehmann's D. Lesebuche Th. I. Abth. II.

6. Sexta. Lehre vom einfachen nackten Satze und die Anfänge der Lehre vom bekleideten Satze. Wortlehre. — Orthogr. Uebungen in der Classe und zu Hause; grammat. Uebungen mit Rücksicht auf Wort- und Satzlehre. — Lese- und Declamirübuugen nach Lehmann's Leseb. Th. I. Abth. I.

### V. Französische Sprache.

1. Prima. Lectüre des poëtischen Theils von Kaumann's Chrestomathie, und zweier Abschnitte von Dumas' Gesch. Napoleon's. — Exercitia.

2. Secunda. Lectüre des prosaischen Theils von Kaumann's Chrestomathie; Einiges aus dem poët. Theile. — Exercitia, Grammatik nach Claude und Lemoine.

3. Tertia. Grammatik. Erlernung der regelm. und unregelm. Verbalformen. Einige schriftliche Uebungen. — Lectüre des Charles XII. v. Voltaire.

## C. Wissenschaften.

### I. Philosophische Propädeutik.

Prima. Logik. Erklärung der philosophischen Briefe Schillers.

### II. Mathematik. — Rechnen.

1. Prima. Combinationslehre; binom. Lehrsatz; recurrente Reihen. Wiederholung der arithm. und geometr. Reihen. — Zusammenges. Zins- und Rentenrechnung; Kettenbrüche; allgemeine Eigensch. der Gleichungen; Auflösung bestimmter Gl. des 1. und 2. Grades mit Hilfe der trigonom. Tafeln; Aufl. d. numerischen Gleich. durch Näherung. Unbest. Gl. des 1. und 2. Grades. — Kleinere und umfassendere häusl. Arbeiten, die vom Lehrer controllirt wurden.

2. Secunda. Stereometrie. — Ebene Trigonometrie. Kleinere und grössere häussl. Arbeiten der Schüler wurden vom Lehrer durchgesehen.

3. Tertia. Geometrie. — Arithmetik. — Wiederholungen. — Fortlaufende Aufgaben zur Einübung und festeren Begründung des Vorgetragenen.

4. Quarta. Lehre von den Verhältnissen; Rechnungen des gewöhnlichen Lebens; Gleichungen des ersten Grades; Quadratwurzel. — Anfangsgründe der Geometrie.

5. Quinta. Die vier Species mit gemeinen und Decimalbrüchen. Einiges aus der Lehre von den Proportionen. Regel de Tri, Gesellschaftsrechnung. Uebungen im Kopfrechnen.

6. Sexta. Die vier Species mit unbenannten und benannten Zahlen, und in den einfachsten Formen auch mit Brüchen. Uebungen im Kopfrechneu.

### III. Geschichte und Geographie.

1. Prima. Hauptpunkte aus der Geschichte der Wissenschaft und Kunst bei den Völkern des Alterthums und der germanisch-christlichen Nationen.

2. Secunda. Alte Geschichte. Wiederholung der mittleren Geschichte. Geographische Repetitionen.

3. Tertia. Deutsche Geschichte bis zum Aussterben der Hohenstaufen; sodann Preussische Geschichte bis zum Tode Friedrichs d. Gr., mit besonderer Berücksichtigung der Deutschen Geschichte. — Geographie von Deutschland, Frankreich, Italien, Spanien und Portugal.

4. Quarta. Geschichte Griechenlands bis auf Alexanders d. Gr. Tod; Geschichte der aussereuropäischen Staaten des Alterthums. — Geogr. von Amerika, Australien, Asien, und des Allgemeinsten von Afrika.

5. Quinta. Geographie von Europa, hauptsächlich von Deutschland. — Geschichtliche Darstellungen, mit besonderer Beziehung auf die Geschichte Deutschlands und Preussens.

6. Sexta. Erklärung geographischer Begriffe. Allgemeine Kenntniss der Hauptländer, Flüsse und Gebirge der Erde. — Erzählungen aus der alten Geschichte.

### IV. Naturkunde.

1. Prima. Einleitung in die Mechanik; verbunden mit Experimenten, z. B. an der Attwoodschen Fallmaschine. — Lehre vom Schall und Anfang der Lehre vom Licht.

2. Secunda. Einleitung in die Chemie, durch einfache Experimente erläutert.

3. Tertia. Botanik (verbunden mit Excursionen). — Grundzüge der Crystallographie.

4. Quarta. Botanik. Beschreibung und Vergleichung einheimischer Pflanzen. — Zoologie. Ausführliche Beschreibung mehrer Arten der einzelen Ordnungen der Säugethiere.

5. Quinta. Botanik, mit besonderer Berücksichtigung einheimischer Pflanzen. — Zoologie, mit besonderer Berücksichtigung der Vögel.

6. Sexta. Botanik. — Zoologie, mit Hervorhebung merkwürdiger Säugethiere.

## D. Fertigkeiten.

I. Schreibübungen in Sexta, Quinta und Quarta.

II. Zeichenübungen für alle Classen, doch so, dass von Tertia aufwärts nur die talentvolleren Schüler daran Theil nahmen.

III. Singübungen in drei Abtheilungen. Notenkenntniss. Harmonielehre. Einübung von Chorälen, ein- zwei- und mehrstimmigen Liedern und Chören von Rink, Hesse, Schicht u. A.

IV. Turnübungen haben im Laufe des Sommers unter der Leitung eines besonders remunerirten Turnlehrers, des Herrn Euler, Statt gefunden. Ich bemerke hierbei zugleich, dass die Theilnahme keineswegs so gross gewesen ist, als erwartet werden durfte. Namentlich haben während des verflossenen Winters nur sehr wenige Schüler dem Turnunterrichte beigewohnt. Eine Erklärung für diese auffallende Erscheinung habe ich um so weniger finden können, als unsere Schüler der drei unteren Classen durch häusliche Arbeiten wahrlich nicht besonders belastet gewesen sind!

## Vertheilung der Stunden unter die Lehrer, wie sie gegenwärtig besteht.

| Lehrer. | I. | II. | III. | IV.[a] | IV.[b] | V. | VI. | Sa. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. **Ellendt,** Direktor, Ordinarius von VI. | 6 Griech.<br>2 Lat. D. | 4 Griech. | | | | 2 Latein. | 4 Deutsch. | 18 |
| 2. Dr. **Legiehn,** Prof. u. 2ter Oberlehrer. | 2 Hebr. | 2 Hebr. | | 2 Religion. | 2 Religion. | 2 Religion. | 8 Latein.<br>2 Religion. | 18 |
| 3. **Müttrich,** Prof. u. 3ter Oberlehrer. Ordinarius von I. | 4 Mathem.<br>2 Physik. | 4 Mathem.<br>1 Physik. | 4 Mathem. | 4 Mathem.<br>u. Rechn. | | | | 19 |
| 4. Dr. **Gryczewski,** 4ter Oberlehrer. | 6 Latein. | 7 Latein.<br>2 Griech. D. | 2 Latein. D. | | | | | 17 |
| 5. **Fatscheck,** 5ter Oberlehrer. Ordinarius von IV. | 2 Franz. | 2 Latein. D.<br>2 Franz. | 2 Deutsch.<br>2 Franz. | 2 Deutsch.<br>2 Latein.<br>4 Latein.<br>1 Deutsch. | 2 Deutsch.<br>2 Latein. | 3 Gesch. u.<br>Geograph. | | 22 |
| 6. Dr. **Rupp,** 6ter Oberlehrer. Ordinarius von II. | 2 Religion.<br>2 Gesch.<br>4 Deutsch<br>u. Philos. | 2 Religion.<br>3 Gesch. u.<br>Geogr.<br>3 Deutsch. | 2 Religion. | | | | | 18 |
| 7. **Nitka,** 7ter Oberlehrer. Ordinarius von III. | | | 8 Latein.<br>6 Griech. | 5 Griech. | 4 Latein. | | | 23 |
| 8. Dr. **Bender,** 8ter ord. Lehrer. Adiunctus des emerit. Pror. Grabowski. | | | 3 Gesch. u.<br>Geogr. | 3 Gesch. u.<br>Geogr.<br>3 Latein. | 3 Gesch. u.<br>Geogr.<br>1 Deutsch. | 8 Latein. | 3 Gesch. u.<br>Geogr.<br>2 Deutsch. | 23 |
| 9. Dr. **Böttcher,** Schulamts-Candid. | | | 2 Naturg.*) | 2 Naturg. | 2 Naturg.<br>4 Mathem.<br>u. Rechn. | 2 Naturg.<br>4 Rechnen<br>4 Deutsch. | 2 Naturg.<br>4 Rechnen. | 24 |
| 10. **Arnold,** Schulamts-Candid. | | | | | 3 Latein. | | | 3 |
| 11. **Hermann,** Schulamts-Candid. | | | | | 5 Griech. | | | 5 |
| 12. **Naumann,** Schreiblehrer. | | | | 1 Schreib. | 1 Schreib. | 3 Schreib. | 3 Schreib. | 7 |
| 13. **Stobbe,** Maler. | | 2 Zeichnen. | | 2 | 2 | 2 | 2 | 8 |
| 14. **Sobolewski,** Cantor. | | 1 Singen. | | 1 | 1 | 2 | 2 | 4 |
| | | | | | | | | 209 |

*) Gegenwärtig durch den Schulamts-Candidaten Herrn v. Behr vertreten.

## Uebersicht des Lehrplans während des verflossenen Schuljahrs.

| Fächer. | Classen und wöchentliche Stunden. | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | I. | II. | III. | IV.a. | IV.b. | V. | VI. | |
| 1. Religionslehre | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 14 |
| 2. Lateinische Sprache | 8 | 9 | 10 | 9 (7) | 9 (7) | 10 | 8 | 63 |
| 3. Griechische Sprache | 6 | 6 | 6 | 5 | 5 | — | — | 28 |
| 4. Hebräische Sprache | 2 | 2 | — | — | — | — | — | 4 |
| 5. Deutsche Sprache | 3 | 3 | 2 | 3 (1) | 3 (1) | 4 | 6 | 24 |
| 6. Französische Sprache | 2 | 2 | 2 | — | — | — | — | 6 |
| 7. Philosophische Propädeutik | 1 | — | — | — | — | — | — | 1 |
| 8. Mathematik und Rechnen | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 28 |
| 9. Geschichte und Geographie | 2 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 20 |
| 10. Naturkunde | 2 | 1 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 13 |
| 11. Schreiben | — | — | — | 1 | 1 | 3 | 3 | 8 |
| 12. Zeichnen | 1 | 1 | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | 12 |
| 13. Singen | 1 | 1 | 1 | 2 | 2 | 2 | 2 | 11 |
| Summa. | 34 | 34 | 34 | 33 | 33 | 32 | 32 | 232 |
| Durch Combinationen gehen ab: | | | | | | | | 23 |
| Wurden wirklich gegeben: | | | | | | | | 209 |

## Einige Bemerkungen über Lehrplan und Schulzucht.

1. Auch in dem letztverflossenen Schuljahre ist in dem Lectionsplane an sich keine wesentliche Veränderung nöthig geworden. Doch wurden, in Folge steigender Schülerfrequenz, seit Michaelis 1841 die Schüler der Quarta, so weit es die Umstände gestatteten, in zwei Abtheilungen unterrichtet, welche im Griechischen subordinirt, in den übrigen Lehrgegenständen coordinirt waren. Es ist diese Sonderung sowohl in wissenschaftlicher als disciplinarischer Beziehung nicht ohne bedeutenden Gewinn für die Schule gewesen; man kann nur bedauern, dass aus Mangel an den nöthigen Mitteln eine durchgehende Theilung der Schüler jener Classe nicht zulässig war.

2. Mit der sittlichen Haltung unserer Schüler konnten wir im Allgemeinen ganz zufrieden sein. Auch ist es anzuerkennen, dass, trotz mannichfacher, oft gewiss ungeahndeter Hemmungen von aussen her, wenigstens in einem nicht kleinen Theile der Schüler der beiden obersten Classen sich eine geistige Regsamkeit gezeigt hat, die nicht anders als fruchtbringend wirken konnte.

## Zweiter Abschnitt.

### Verfügungen der Hohen Behörden.

1. Es sollen künftig 218, und wann eine naturhistorische Abhandlung geschrieben worden, 220 Exemplare des jährlich erscheinenden Schulprogramms eingesandt werden. K. P. S. C. 12. Mai 41.

2. Wegen des Titels der Schulprogramme werden, auf Anlass des Hohen Ministerii, genauere Instructionen ertheilt vom K. P. S. C. 26. Juli 41.

3. Es wird von dem K. P. S. C. ein Erlass des K. Hohen Ministerii mitgetheilt, wonach den Abiturienten, welche sich während ihres Aufenthalts in Prima anhaltend fleissig gezeigt haben, die mündliche Prüfung in den Lehrgegenständen erlassen werden kann, in welchen die schriftlichen Prüfungsarbeiten vollständig genügend ausgefallen sind. 28. Juli 41.

4. Ein Lehrplan für den Religionsunterricht in den Gymnasien von Dr. Deinhardt in Wittenberg wird mitgetheilt. Ueber die resp. Benutzung desselben wird seiner Zeit Bericht erwartet. K. P. S. C. 26. Aug. 41.

5. Die Abgangszeugnisse, welche den in Privatanstalten gebildeten Knaben ertheilt worden sind, sollen von den Directoren der städtischen höheren Lehranstalten bei der Aufnahme solcher Knaben nicht unberücksichtigt gelassen werden. St. Sch. Dep. 7. Sptbr. 41.

6. Abschriftliche Mittheilung einer Verordnung des Hohen Ministerii, die Ausfüllung der zweiten Rubrik der Abiturientenprüfungszeugnisse betreffend. K. P. S. C. 29. Octbr. 41.

7. Die Lateinische Synonymik von dem Gymn.-Lehrer Dr. Schultz in Arnsberg wird durch eine Verfügung des Hohen Ministerii empfohlen. K. P. S. C. 4. Jan. 42.

8. Auf die Schrift des Gymn.-Professor Hiecke: der Deutsche Unterricht auf D. Gymn., wird aufmerksam gemacht. K. P. S. C. 1. Febr. 42.

## Dritter Abschnitt.

### Chronik des Gymnasii.

I. Persönliches. Seit dem Erscheinen des letzten Programms haben sich folgende Veränderungen in dem Lehrercollegium des A. G. zugetragen:

1. Mit dem ersten April v. J. schied aus der Zahl der Lehrer aus der Gymn.-Lehrer Herr Schumann, um, in Folge eines an ihn ergangenen ehrenvollen Rufes, die erste Oberlehrerstelle an der neugegründeten höheren Bürgerschule in Elbing zu bekleiden. Die Lehrer verloren in ihm einen hochgeachteten Amtsgenossen, die Schüler einen liebevollen, ungemein segensreich wirkenden Lehrer und Freund.

2. Am 1. Juli trennte sich von der Anstalt der Senior des Lehrercollegiums, Herr Prorector Grabowski. Nach einer fast funfzigjährigen unausgesetzten Amtsthätigkeit ward der würdige Veteran in den Ruhestand versetzt. Still und geräuschlos, wie seine Wirksamkeit gewesen, war auch sein Scheiden aus den bisherigen Verhältnissen. Ein ehrenvolles, gesegnetes Andenken hat er sich in den Herzen der vielen Hunderte von Schülern, die er gebildet, durch seine unbeugsame Gerechtigkeitsliebe und durch seinen auf Erweckung des Sinnes für alles Tüchtige gerichteten Unterricht bereitet; seinen Collegen wird er als Muster eines pflichttreuen Lehrers und freundlich-zuvorkommenden Amtsgenossen stets im Gedächtniss bleiben. Se. Maj. der König hat ihm die Decoration des Rothen Adlerordens 4ter Classe verliehen.

3. An die Stelle des Herrn Schumann trat zu Ostern v. J. Herr Dr. Böttcher als wissenschaftlicher Hilfslehrer, und übernahm die vacant gewordenen 24 Unterrichsstunden.

4. Da eine Pensionirung des Herrn Prorector Grabowski nicht gleich möglich war, so wurde als Adjunctus desselben Herr Dr. Bender, bisher Lehrer an der Löbenichtschen höheren Stadtschule, berufen. Der Director führte ihn am 1. Juli in seinen neuen Wirkungskreis ein.

5. In Folge der Berufung des Herrn Dr. Bender an das Altstädtische Gymnasium ward dem Herrn Dr. Krause, welcher von Ostern 1840 bis dahin 1841 das gesetzliche Probejahr an dieser Anstalt abgehalten und auch nach Beendigung desselben einige Unterrichtsstunden in Tertia übernommen hatte, die vacant gewordene sechste Lehrerstelle an der Löbenichtschen höheren Stadtschule verliehen. Das Gymnasium hat er sich durch die nützlichen Dienste, die er ihm geleistet, zu dauerndem Danke verbunden.

6. Mit dem 1. Juli schied auch der Candidat des höheren Schulamts, Herr Weyl, aus dem Kreise der Lehrer aus. Nach Abhaltung des gesetzlichen Probejahrs von Ostern 1840 bis Ostern 1841 war er noch, auf seinen Wunsch, mit einigen Stunden in Quarta beschäftigt geblieben. — Eine nicht gewöhnliche Umsicht in Handhabung der Disciplin und eine zweckmässige Behandlung des Unterrichtsstoffes sind von wesentlichem Erfolge bei den seiner Leitung anvertrauten Schülern gewesen.

7. Seit Ostern 1841 unterrichten, Behufs ihrer praktischen Ausbildung zum Lehramte, an der Anstalt die Schulamtscandidaten, Herr Hermann, Herr Arnold und Herr v. Behr.

II. Verschiedenes. Das Sommerhalbjahr 1841 begann am 15. April und wurde am 9. October geschlossen. Der Wintercursus 18⁴¹/₄₂ wurde am 18. October begonnen und wird den 22. März geschlossen.

Die Abiturientenprüfungen wurden unter dem Vorsitze des Geh. Reg. Raths, Ritters des R. A. O., Herrn Dr. Jachmann, am 30. Septbr. und 1. Octbr. 1841 und am 28. Febr. und 1. März 1842 gehalten.

# Vierter Abschnitt.

## Statistische Nachrichten.

### A. Lehrercollegium.

Siehe die Vertheilung der Stunden in dem Ersten Abschnitte der Schulnachrichten.

### B. Schülerzahl.

Im März d. J. 1841 (s. d. Pr.) wurde das Gymnasium von 246 Schülern besucht. Am Schlusse des Sommerhalbjahrs befanden sich 258 Schüler in der Anstalt. Im März d. J. wird das Gymnasium von 272 Schülern besucht, von denen in I. 35. in II. 32. in III. 53. in IV. 69. in V. 47. in VI. 36 sich befinden.

Abgegangen sind in dem verflossenen Schuljahre:

I. Auf die Universität mit dem Zeugniss der Reife zu Michaelis v. J.:

1. Siegfried Aronhold, 22¼ J. alt (studirt Mathematik).
2. Arthur Hobrecht, 17 J. alt (studirt Jura u. Cameralia).
3. Otto Adalbert Krieger, 20¼ J. alt (studirt Jura).
4. Herm. Ludw. Striebeck, 18 J. alt (studirt Philologie und Geschichte).
5. Charles Theodor Toussaint, 19½ J. alt (studirt Medizin).

II. Zu anderen Berufsarten oder auf andere Schulen:

| | | |
|---|---|---|
| Aus | Prima | 3 |
| „ | Secunda | 14 |
| „ | Tertia | 10 |
| „ | Quarta | 7 |
| „ | Quinta | 6 |
| „ | Sexta | 5 |
| | Summa: | 45 |

Aufgenommen wurden:

| | |
|---|---|
| Zu und nach Ostern 1841: | 48 |
| Zu und nach Mich. 1841: | 37 |
| Summa: | 85 |

Zu Ostern d. J. verlassen die Anstalt 9 Zöglinge mit dem Zeugniss der Reife, um die Universität zu beziehen:

1. Richard v. Bardeleben, 20½ J. alt (stud. Cameralia).
2. Carl Frdr. Fischer, 20 J. alt (stud. Jura).
3. Caspar Friedr. Fritsch, 20½ J. alt (stud. Jura).
4. Louis Mendthal, 17½ J. alt (stud. Cameralwissensch.)
5. Julius Otto Passarge, 22½ J. alt (stud. Theologie).
6. Heinr. Theod. Pezold, 18 J. alt (stud. Theologie).
7. Rud. Gotthold Philippi, 21¼ J. alt (stud. Geschichte u. Lit.)
8. Hermann Rasche, 19½ J. alt (stud. Cameralia).
9. Rudolph Stelter, 20 J. alt (stud. Theol. Gesch. u. D. L.).

## C. Lehrmittel.

I. Die Gymnasialbibliothek. Als Geschenke des Hochlöbl. Patronats sind derselben zugegangen: Rehm's Gesch. des Mittelalters, 8 Bde.; Tetens: Einleitung zur Berechnung der Leibrenten cet. 2 Bde. Angekauft sind für dieselbe unter Anderen: Roepell Gesch. v. Polen Bd. I.; Ohnesorge Gesch. d. Preuss. Brand. Monarchie; Dahlmann: Gesch. v. Dänemark, 2 Bde; Winer: Comparat. Darst. d. Lehrbegr. d. versch. Kirchenparteien; Feuerbach: Wesen des Christenth.; Ulrici: Vorles. über die Heg. Philos.; San-Marte: Wolfr. v. Eschenbach, 2 Bde.; Kiepert's Atlas v. Hellas, Zimmerm. Ztschr. f. Alterthumsw.; Ovidii Fasti ed. Merkel; Müller: Gesch. d. Gr. Lit. 2 Bde.; Grunert Archiv f. Math. u. Phys. Bd. I.; Dove's Rep. d. Phys. Bd. 4; Neumann's Lehrbuch d. Physik 2 Bde. etc. Ausserdem die Forts. von Suidae Lex., Thesaurus l. Gr., Pauly's Realencycl., Poggendorff's Annal. u. A.

II. Die Schülerbibliothek ist durch den Ankauf von Werken von Haupt, Jacobi, Novalis, Beurmann, Bach, Vogel, Forster, Prutz, Anast. Grün, Viehof, Diller, Kriegk, Varnhagen u. A. um etwa 80 Bände vermehrt worden. — Die Primaner Kersandt und v. Schrötter, und der Secundaner v. Zander haben der Bibl. mehre werthvolle Bücher geschenkt.

Auf Anregung des Directors und unter der gütigen Leitung des Herrn Oberlehrers Dr. Rupp hat sich seit Michaelis v. J. ein historisch-literarischer Leseverein gebildet, dessen Mitglieder, grossentheils Väter von Schülern der drei oberen Classen unserer Anstalt, die zur Lectüre angeschafften Bücher, nachdem sie gelesen worden, der Bibliothek des Gymn. als Eigenthum wohlwollend überlassen. Bei andauernder Theilnahme für diesen Verein wird sowohl der Gymnasial- als der Schülerbibliothek ein bedeutender Zuwachs von durchaus werthvollen Werken der Deutschen Literatur zu Theil werden. Daher sage ich schon jetzt allen Mitgliedern des Lesevereins den freundlichsten Dank, und empfehle das junge Institut Ihrer weiteren gütigen Theilnahme. Ueber die Verwendung der eingekommenen Gelder soll im nächstfolgenden Programm genauer Bericht erstattet werden.

III. Das physicalische Cabinet ist durch zwei correspondirende Hohlspiegel und einige andere kleinere Gegenstände vermehrt worden.

---

## Danksagung und Bitte.

Im Auftrage mehrer früherer Schüler des aus dem Lehrercoll. des Altst. Gymn. ausgeschiedenen Herrn Pror. Grabowski sind mir durch einen derselben Herrn Hofrath v. Wichert 26 Thlr. zugegangen, mit der Bestimmung, sie zum Besten der gen. Anstalt zu verwenden, doch so, dass sich dadurch eine Erinnerung an ihren einstigen würdigen Lehrer knüpfte. Die übersandte Summe soll nun, in Uebereinstimmung mit den geehrten Herrn Gebern, die Grundlage eines Fonds zur Unterstützung hilfsbedürftiger Gymnasiasten bilden. Indem ich für diese der Anstalt erwiesene Wohlthat den tiefgefühltesten Dank ausspreche, richte ich zugleich an die geehrten Eltern unserer Schüler und an alle Gönner der Anstalt die ergebene Bitte, zur Vergrösserung dieses Fonds gütigst beitragen zu wollen. Auch die kleinste Gabe wird dankbar angenommen werden. Am Schlusse eines jeden Schuljahrs soll im Programm Berichterstattung über die Verwendung, resp. Capitalisirung der eingekommenen Unterstützungsgelder erfolgen.

*Ellendt.*